DE

RENATO RAPINO

— [illegible] TY[illegible] [illegible] ET [illegible], 28.

DE

RENATO RAPINO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

C. DEJOB

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXI

ERRATA

Pag. 15, lin. 3, *lege* fuerat *pro* fuit.
Pag. 17, lin. 17, *lege* régulière *pro* réculière.
Pag. 43, lin. 21, *lege* ibique theses de philosophia *pro* ibique de philosophia.
Pag. 50, lin. 2, *lege* induerint *pro* induerent.
Pag. 86, lin. 17, *lege* Senonsem *pro* Senensem.
Pag. 99, lin. 14-15, *lege* laudandum *pro* laudaudum.
Pag. 111, lin. 13, *lege* exprobrare *pro* exprobare.
Pag. 117, not. 5, lin. 2, *lege* dix-septième siècle *pro* seizième siècle.
Pag. 150, lin. 1-2, *lege* suppeditabant *pro* suppeditabat.
Pag. 154, lin. 7, *lege* exprobrata *pro* exprobata.

DOCTISSIMO, DISERTISSIMO, BENEVOLENTISSIMO

IN GALLIÆ COLLEGIO ET IN SCHOLA NORMALI

LATINARUM LITTERARUM PROFESSORI

G. BOISSIER

EX GALLICÆ ACADEMIÆ VIRIS XL

GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

C. DEJOB

à mon excellent collègue,
[illegible],
souvenir amical,
C. Dejob

PRÆFATIO

De Renati Rapini vita atque de criticis ejusdem disputationibus non ideo disserere instituimus quod aut imminutam viri gloriam redintegrare in animo habeamus, aut aliquot monumenta ex bibliothecis eruerimus quæ doctas eruditorum investigationes fefellerint. Nam et fatemur laudem ejus æquales in majus exaggeravisse, et, si memoraverimus illum anno post Christum 1621 Turonibus natum esse, in Societatem Jesu receptum fuisse, multos latinos versus, multas de religione et de litterarum præceptis commentationes conscripsisse, denique anno 1687 Lutetiæ obiisse, omnia prope complectemur quæ Rapino relatu digna evenerint. Sed quoniam nunc omnes in hoc consentiunt ut cujuslibet ætatis indolem non in sublimibus tantum, verum et in mediocribus ingeniis deprehendi censeant, succurrit haud sine fructu forsitan ea quæ ad celeberrimum olim Jesuitam pertineant, excussum iri; tum ejus libros,

quia ut in multis bibliothecis asserventur, ita a cunctis fere lectoribus fastidiantur, tanquam novos posse explorari.

Ceterum, quoniam impulsus quadam omnium elegantiarum admiratione et sincera erga nobilitatem religione, amplissimas domos frequentavit, operæ pretium erit proponere quibus artibus et Lamonios et Bussæum et Sevigneam (1), prudentes ingeniorum æstimatores, Rapinus sibi conciliaverit : inde enim intelligemus quantum illi optimates verecundæ pietati atque urbanæ eruditioni faverent et quatenus tum doctrinæ copiam, tum venustatem orationis suspicerent. Quid quod suspicari forsan licebit illum vel quum ingenuæ morum simplicitati atque innocenti litterarum studio in sanctissima summi magistratus domo indulgeret, callidissime suæ Societati operam navavisse? Disseremus certe qua conditione usus sit apud patronum Jansenistarum amicum Jesuita cliens.

Ipsius autem Rapini naturam haud vulgarem fuisse confirmabimus, quæ e sagacitate subtili pariter ac ridicula insulsitate, e felle pariter ac candore conflata fuerit.

(1) Les Lamoignon, Bussy-Rabutin, Mme de Sévigné. Virorum feminarumque nomina, quando vocabuli forma feret aut æqualium mos jubebit, in latinum vertemus. — Quoties Bussæi epistolas citabimus, editionem Ludovici Lalanne sequemur; quoties Sevigneæ, editionem quæ recepta est in collectionem dictam : *Les grands écrivains de la France.*

DE

RENATO RAPINO

CAPUT PRIMUM.

RAPINUM GULIELMI LAMONII AMICITIAM SCHOLASTICÆ VITÆ ANTEPOSUISSE.

Rapinus Societati Jesu nomen dederat admodum adolescens : præcepta litterarum novem annos in ejus collegiis tradiderat; dein, duobus annis in tirocinio sacerdotii consumptis, omisso docendi ex cathedra munere, moderandæ alienorum discipulorum institutioni, sub præfecti nomine, præpositus fuit (1). Scholasticam autem vitæ rationem illius ingenio minus accommodatam fuisse suspicor, non quod discipulos parum diligeret (2), aut laborem re-

(1) Anno 1639, apud Jesuitas pueros docere inceperat. In præfatione monuimus nos in Rapini vita non singula persecuturos esse, sed universum tenorem descripturos.

(2) Ejus versus amanter scriptos de tristi casu Alphonsi Mancini cujus educationi præfuerat, infra laudabimus.

fugeret, sed quia, dum in hominum famam profluere cupit et sanctissimarum virtutum exercitationem aliqua voluptate adspergere, maluit libros exarare quos urbanus quisque lectitaret, et necessitudines contraxit quæ eum scholasticæ operæ sæpissime eripuerunt.

Itaque in puerorum institutione sic versatus fuerat, ut quotidianas vices studiose obiret, sed subsecivis operibus minime incumberet quæ frequentabant ipsius collegæ dum professoria gloria spem famæ suæ terminabant. Erant enim tum temporis quædam professoriæ litteræ, non in latinis poematibus utique positæ (nam præter magistros Universitatis vel Societatis Jesu sexcenti alii latina carmina condebant), sed in latinis declamationibus, quas vel certis diebus pronuntiabant, quum verbi gratia annua studia inaugurabant, vel quando publica lætitiæ mœstitiæve causa intercedebat. Illis orationibus alacerrime Jesuitæ animos appulerant : tantam enim diebus solemnibus nacti auditorum multitudinem quantam frustra optassent si in circulis aliquod poema fuissent recitaturi, et suæ et Societatis gloriæ efficacissime consulebant (1). Præterea, eligendis pro arbitrio argumentis, evagabantur sæpe trans communes professionis suæ locos, nunc præsentes litteratorum disputationes pro parte virili dijudicaturi, nunc principes magnifice laudaturi, vel caute udaturi monituri ; adde quod Jesuitæ haud prohibebant ab oratoribus suis impetum in inimicos Societatis fieri,

(1) Hoc providerant Societatis rectores : vide Juvencii locum sæpissime laudatum in *Ratione discendi et docendi*.

aut sagittas oblique vibrari. Itaque Fr. Vavassoris, Gabr. Cossarti, Jos. Juvencii declamationes istiusmodi, seu, ut omnis absit verbo invidia, orationes in lucem prodiere (1) : Rapini nulla omnino exstat, nulla unquam exstitisse videtur oratio. Nimirum intellexerant Societatis rectores ingenium viri, utpote acutius quam fervidius, subtilius quam copiosius, rhetoricis amplificationibus minus idoneum esse, vel ipse Rapinus ex umbra collegii tenuiorumque hominum cœtibus in lucem reipublicæ litterariæ et magnarum amicitiarum emergere jam meditatus, noluit aliquam sui exspectationem in eo genere facere quod fastidiret.

Quidquid id est, annum ætatis suæ trigesimum octavum agebat quum, jussus (2) ab antistitibus Societatis institutioni Chr. Francisci Lamonii præesse, Lamoniis se applicuit, quorum in clientela reliquam vitam continuavit (3).

Constat Gulielmum Lamonium familiaritatem doctissimi cujusque appetivisse. Cur vero unus potissimum e Jesuitis arctissimam cum eo constrinxit necessitudinem, et ab ejus consuetudine prope nunquam discessit, rusticantique fere semper adstitit, ac mortuo illo amplexatus est filiorum amicitiam?

(1) De iis orationibus, v. Appendicem A.

(2) « Ces Pères (nempe Jesuitæ) choisirent le célèbre P. Rapin pour diriger les études d'un écolier qui promettait tant. Il répondit aux désirs de son père et aux soins de son habile maître auquel un pareil écolier fait autant d'honneur que les plus beaux ouvrages. » Moreri, verbo *Chr. Franç. de Lamoignon.*

(3) Anno enim 1659 Gul. Lamonio Eclogas sacras et exaratam in Lamoniorum villa de Carmine Pastorali disputationem dedicavit. Rapinus autem natus erat anno 1621.

Nam Guido Patinus, cujus epistolæ effusum in litteratos summi præsidis studium exhibent, testatur illum in Jesuitas mire affectum fuisse : siquidem quum Gulielmus Parisiensi curiæ præponitur (anno 1658), Patinus, præter ceteras laudes quibus singularem ejus doctrinam, humanitatem, probitatem extollit, hoc addit : « *J'en vois d'autres qui se réjouissent de ce qu'il est dans son âme janséniste et qu'il n'a pas l'âme moutonnière, servile et tyrannique.* 11 oct. 1658. » Quam proclivis in Jansenistas Gulielmi voluntas erat, tam aliena a Jesuitis Patino videbatur (1). Et quidem omnes æqualium commentarii perhibent Gulielmum maxima veneratione principes e Jansenistis viros coluisse. Unum argumentum afferam : in controversia quam pecunia a Chavinio (2) moriente fidei Singlini commissa excitavit, Gulielmus adjunctus fuerat propinquo suo, Gué-Bagnols ut partes tueretur Regioportuensium (3). Verum non is erat qui, dijudicata semel Romæ de Jansenii opinionibus lite, æquo animo intueretur imminens inter catholicos discidium. Jansenistarum mores integros potius quam placita theologica magni æstimabat. Quum autem plurimum Congregationis interesset conciliare sibi Gulielmi voluntatem, credemus ob id modo ei traditum fuisse Rapinum ut lassatas forensi strepitu aures versiculis recrearet? Non enim Jesuitis licebat quod Victorinis, pro libidine a soda-

(1) « Il est fort sage et fort civil, et dit en souriant qu'il ne faut pas dire de mal des Jésuites et des moines, mais pourtant il est ravi quand il m'échappe quelque bon mot contre eux. 19 feb. 1659. »

(2) Chavigny.

(3) Sainte-Beuve. *Hist. de Port-Royal.*

libus subinde discedere atque in optimatum villis diversari. Buhursius (1) in suo de Rapini vita commentario scribit : « ...Les grands... auprès desquels ses supérieurs l'ont attaché plus d'une fois (2). » — At enim jam Gulielmus Jesuitis permiserat liberos suos instituendos. — Quis vero spondebit certum hoc indicium esse voluntatis sponte sua in Congregationem inclinantis? Forsitan jusserat filios in Jesuitarum scholis versari, quia eorum disciplinam ad expolienda adolescentulorum ingenia pertinere existimaret, vel hoc ipsum prospexerat quod in animo habebat quum Patino quem profecto plurimi faciebat non pro medico uteretur : « Ne vous étonnez point si je ne suis pas son médecin, » inquit Patinus : « Guénaut l'est, il y a plus de vingt-six ans, par des raisons politiques (3). »

Quum suspicer non sine respectu alicujus utilitatis Rapinum traditum fuisse Gulielmo, illud non ita velim accipi ut quis putet tanquam causidicum missum esse qui causam sodalium apud Lamonios oraret, vel tanquam speculatorem qui, in sinu familiæ nutritus, dicta exciperet atque foras eliminaret. Innocentior fuit Rapinus quam ut istis insidiis Gulielmum aggrederetur, prudentior Gulielmus quam ut in easdem incideret. Ex animo invicem amaverunt. Hoc tantum pro certo affirmaverim, quum Gulielmus homines probitate et eleganti doctrina insignes appeteret, rectores Congregationis qui Rapinum illis

(1) Bouhours.

(2) V. editionem Carminum Rapini, Lutetiæ, 1723, vol. II, p. LXXXI-LXXXV.

(3) *Epist.*, 10 mai 1661.

artibus conspicuum haberent, hanc illi provinciam dedisse ut contubernio summum præsidem sibi devinciret et vitæ suæ exemplo doceret ingenuitatem, veritatem, fidem a *Loyolistis*, etiam Patino repugnante, haud prorsus abesse; ceterum si qua facultas interdum oriretur, vel si quod tempus efflagitaret, operam sodalibus perquam circumspecte navaret.

In duas igitur partes res ipsa suadet ut disputationem nostram de Rapini et Gulielmi necessitudine dividamus : primum apertas artes et in omnium oculis positas intuebimur quibus Rapinus sibi Lamoniorum amorem conciliavit, tum obscuriores, si quæ fuerunt, artes per quas Congregationi gratificatus est.

CAPUT SECUNDUM.

NATUM FUISSE RAPINUM UT LAMONIIS PLACERET ATQUE ADESSET, QUUM EORUM ET CONSILIA IN RE LITTERARIA ET VIRTUTEM INTELLIGENDO ASSEQUERETUR.

Ea ætate, qui litteratos fovebant, peculiares Academias constituere nitebantur, fruendarum et aliqua ex parte regendarum litterarum causa. Vix autem unus annus effluxerat, ex quo Lamonii Rapinum clientem receperant, quum Gulielmus constituendæ intra parietes suos Academiæ iniit consilium, mense Maio 1659 (1). Ut vero Rapinus auctor consilii atque impulsor non fuerit, in describenda elucubrationum quas in medium afferrent Academici ratione adjutor, si quisquam alius, fuit ; si quidem quarumcumque notitia ad nos pervenit, eæ omnes ad id spectant quod Lamonium utique requirere par erat et Rapinus planius quam ceteri præstitit aut præstare videbatur.

Quod ad Lamonium pertinet, urbanissimum eumdem constantissimumque virum, magis magisque

(1) *Epist. Guidonis Patini*, 20 mai 1659.

confirmabit progressa ulterius disputatio illum amicitiæ multum tribuisse, sed fuisse tenacem propositi. Quare non hospes, vel ut Holbachium (1) cognominavere, tricliniarchus Academiæ suæ esse voluit, sed dux et operum partitor. Nam sæpissime plura in medium ex tempore, mirantibus Academicis, conferebat quam ceteri sumpto ad meditandum spatio (2), ea instructus memoria, ea eloquentia quam Menagius et Patinus laudavere (3). Inde litteratus ille cœtus absimilis fuit ceteris, quippe non in versiculis vernaculis occupatus veluti quibus mulierculæ et trossuli præerant, non in mixtis gravitate et aliqua in cogitando audacia argutiis, velut cui præsidebat Aubiniacus (4), non in lepidis vicissimque altis collocutionibus quibus Rupefucaldus (5) et marchesina a La Fayette alebant inter se ingenia pascebantque mutuum amorem vel fallebant. Nullus tum, Patino judice, inter homines ejusdem ordinis, Lamonio

(1) D'Holbach.

(2) « Bien souvent dans les conférences qu'il tenait chez lui, il payait plus de sa personne sur-le-champ que les autres avec toute leur préparation. » *Menagiana*, I, 145.

(3) *Menagiana*, loco supra citato ; *G. Pat. epist.*, 14 jan. 1671, edit. Réveillé-Parise, III, 775. — De orationibus a Gulielmo in Curia habitis, vide *G. Pat.*, edit. Réveillé-Parise, II, 143 ; III, 402. — De ejus facultate latine loquendi, ibid., III, 94. — De genere ejus eloquentiæ, vide François Monnier, *G. de Lamoignon et Colbert*, p. 30.

(4) Illum morem hujus Academiæ ex conditoris indole et ex operibus Gabrielis Guéret qui in ea scribæ vices explevit, concludo. Vide ejus *Le Parnasse réformé*, *La guerre des auteurs*, et duas orationes quas apud Aubiniacum recitavit : *l'Orateur*, et *Si l'empire de l'éloquence est plus grand que celui de l'amour*, quæ prodierunt in libro inscripto : *Divers traités de morale, d'histoire et d'éloquence*, apud P. Esclassau, 1672.

(5) La Rochefoucauld.

doctior exstitit (1). Memoria retinebat poetas græcos, Plutarchum, Ciceronem, Tacitum, ipsumque Ferneli (2) de pathologia librum quem, suadente Patino legerat (3). Itaque præter Guid. Patinum, viros antiquitatis peritissimos, Huetium et Ægid. Menagium in suam Academiam advocavit (4). Eo vero otio carebat quo ejusdem ordinis viri, ætate insequente, Bouhier, Henault, de Brosse, Montesquieu doctrinas suas usque promoverunt. Postquam in Curia gravissimas disceptaverat lites vel inter collegas sanxerat disciplinam, domi patientissimas aures litigantibus commodaverat, adeo non solitus *atria servantes postico fallere*, ut nefas esse censeret iis præripere jus utilia dicendi et solatium effutiendi inutilia, tum magno cum posterorum fructu consilia conferebat cum prudentibus jurisconsultis de legibus in melius mutandis : quam breve tempus litteris seponere poterat? Itaque subsecivas horas non in hoc conferre statuisse videtur ut novos potissimum libros legeret, aut jam perlectos anxie lectitaret eaque ex antiquitate eliceret quæ omnium oculos effugissent, sed ut recoleret insitam olim menti doctrinam et quod animo semel hauserat remanderet atque concoqueret. Timere se dicebat ne suas litteru-

(1) « Il y a du plaisir avec lui, parce qu'il est le plus savant de longue robe qui soit en France. » *Epist.*, 19 feb. 1659 ; vol. III, p. 124.

(2) J. Fernel.

(3) *Epist. Pat.*, 11 oct. 1658, vol. III, p. 94, 95.

(4) De Huetio, vid. inf. — Menagium in litterario Lamonii cœtu consedisse docent, præter multos locos Menagianorum quæ eum placuisse Gulielmo declarant (I, 144, II, 125, 186), hic locus quo ait se apud eum audiisse Rapinum Comparationem Aristotelis Platonisque recitantem. Ceterum vide infra.

las inter negotia dedisceret (1). Dum vero cupit retractare quæcumque olim percepit, ecqua expeditior via potest occurrere, quam si per homines a liberalibus disciplinis recentiores omnis ordine repræsentetur antiquitas, et excellentes viri inter Græcos ac Romanos in genera descripti prodeant, summam suorum librorum et imaginem ingenii sui quasi præ se ferentes? De iis quos in manus resumere minus vacat, juvabit saltem audire criticum disserentem; dum referentur de unoquoque opiniones litteratorum, juvabit Lamonium repetere memoria juventam, quæ Scaligerorum Stephanorumque ætati propior in horum libris evolvendis versata fuerit. Quid si recensioni scriptorum adduntur ea præcepta quæ olim a magistris tradita Lamonius religiose colit, quoties meditatam orationem est habiturus? Quare in hunc modum Gulielmum suæ Academiæ rationem puto descripsisse, eo quoque argumento fretus quod, ipso mortuo, collocutionibus breviter intermissis, dein apud Lud. Mariam Victorem ab Aumont repetitis, curam longe diversam Academici susceperunt ut historiam romanam numismatum fide conscriberent (2).

Verum Lamonio vivente ea ipsa fuit Academicarum disputationum ratio quam heri voluntati congruere conjecimus : illuc enim refertur laudatus a Pellissone Homerus, et vindicatus idem a Carolo Patino adversus iniquos Virgilii fautores (3); illuc

(1) « Il m'a dit... qu'il avait peur, faute de loisir, d'oublier le peu qu'il savait. » *Epist. G. Pat.*, 20 mai 1659, III, p. 136.

(2) Allut, *Recherches sur la vie et les mœurs du P. Ménétrier*, Lyon, 1856, p. 61, 62.

(3) V. *epist. G. Pat.*, 24 nov. 1667, de oratione quam ex tempore ejus filius habuit, jussu Gulielmi, qua die de utroque Rapinus disseruerat.

quatuor Claudii Francisci Ménétrier orationes de eloquentia, una Bossueti de vi dicendi Hebræorum prophetarum (1); illuc Pellissonis dissertatio de historia, 5 Jan. 1671, recitata (2).

Nemo vero in hanc veterum recensionem et singularium artium institutionem studiosius incubuit quam Rapinus : plures quam quisquam apud Lamonium recitavit commentationes, quoniam de Virgilii et Homeri comparatione (10 Aug. 1667; liber prodiit ann. 1668), de Demosthenis et Ciceronis (1670), de Platonis et Aristotelis (1671), de Eloquentia, de Poetica Aristotelica (1674), de Philosophia (1676) disputationes quarum plerasque Lamoniis dedicavit, tum jussu Gulielmi (3), tum ipsis quas in Academia audierat dissertationibus ad scribendum impulsus (4) exaravit. Quanti fieri debeant illæ Rapini commentationes expendemus deinceps. Hic tantum asseveramus, si unquam optaverit Gulielmus ut ex sua domo non modo *jus consuetudinis* in unum corpus

(1) Allut, op. cit., p. 58. — *G. Pat. epist.*, 15 décem. 1670 : « Le P. Ménétrier parla hier dans l'Académie de M. le premier Président et fit fort bien en parlant de l'éloquence. L'évêque de Condom, M. Bossuet, harangua fortement de l'éloquence divine, qui est la Bible, surtout dans la Genèse et dans les Prophètes; il loua fort David, Salomon et l'éloquence des patriarches, surtout celle de Moïse. » Vol. III, p. 773.

(2) *G. Pat.*, III, 775.

(3) « Il me doit suffire, pour mériter votre attention, de vous faire souvenir que c'est par votre ordre que je défends les intérêts de Virgile contre un des plus célèbres et des plus honnêtes hommes de notre siècle (Pellisson) qui avait soutenu devant vous ceux d'Homère. » Rapinus, *Præfatio Comparationis Homeri et Virgilii.*

(4) « Voici le sixième volume des ouvrages dont j'ai pris l'idée dans ces conférences de savants qui se tiennent chez vous toutes les semaines. » Rapinus, *Præfatio Commentarii de Philosophia.*

redactum sed et ars litteraria in partes digesta prodiret, Rapinum Auzanneto, impigro Gulielmi adjutori, obsequio ac diligentia non concessisse.

Et exarandis commentationibus et amplificando Academicorum numero domum Lamoniorum honestavisse Rapinus videtur. Nam G. Patinus, 20 maii 1659, nuntiabat noluisse Gulielmum plus quam sex litteratos viros in Academia sua considere (1) : idem 12 Aug. 1667 scribit Academicos duodeviginti numero esse. Ex iis vero quos profecto Lamonius haud ab origine elegerat, Claudium Franc. Menetrier, Jesuitam, qui postquam priorem vitæ partem Lugduni vel in itineribus degerat, non ante ann. 1670 Lutetiæ collocavit sedem, credibile est per sodalem suum Lamonios adiisse. Joannem quoque Bertet ejusdem Societatis, qui anno 1671 Lutetiæ sibi domicilium constituit (2), opinor minus propria laude quam Rapini amicitia Gulielmo fuisse commendatum (3). Huetium quidem ut arcesseret in Academiam suam celebrata vel apud exteros viri fama et susceptæ instituendi Delphini partes Gulielmum forsan, etiam tacente Rapino, impulerunt (4). Sed quia jampridem

(1) « Il m'a dit... qu'il ne voulait pas que nous fussions plus de six. »

(2) V. *Dictionarium* Moreri.

(3) Joannes Bertet parum firmi ingenii fuit : « La curiosité qu'il eut d'écouter une devineresse qui faisait alors (1681) beaucoup de bruit à Paris déplut, et il reçut l'ordre de sortir de la Société. » Moreri, *Diction.* — Joannem Bertet in Academia Lamoniorum visum esse ex Patino (*epist.*, 14 januar. 1671) accipimus.

(4) In eam Academiam se esse arcessitum Huetius docet in suo de vitæ suæ commentario ; addit se Bavilleam Lamoniorum villam invisisse, et de Polychrene fonte qui illam irrigabat versus condidisse, tanquam Rapinum, *assiduum Lamonii assectatorem*, p. 247, 248.

Huetius Jesuitas in quos semper se mire propensum esse professus est et Rapinum inter alios amicitia amplexatus ~~fuit~~ (1), ipse quoque forsan per Rapi- *fuerat*
num Lamoniis conciliatus est.

Cur vero amplificatum voluerit Academicorum numerum, duas causas afferam : unam quod dignitati Lamoniorum consuluerit, alteram quod G. Patini qui statim in doctum cœtum juxta ac filius Carolus accitus erat, dicacitatem et arctam cum Gulielmo familiaritatem subveritus (2), inter quam plurimos Sodalitatis suæ amicos maluerit considere, ratus

(1) « Et excellentis quidem viri (Rapini) jucundissima mihi est recordatio, cujus præclara in me exstiterunt merita, quemque summa quoad vixit observantia colui. » Ibid., p. 63. V. etiam, pag. 60, 62. — Jam anno 1661 Huetius et Rapinus inter se scribebant (V. Bibl. nat., mss. Fr. 15189, Menagii ad Huetium epist., 15 aug. 1661. V. ibid. ejusdem ad eumdem epist., 13 jun. 1663. Quod ad Bossuetum attinet, crediderim eum potius vicepræfecti sui Huetii rogatui et amplitudini Lamoniorum dedisse ut subinde copiam sui Academicis faceret, quam certo quoque die interfuisse conciliis.

(2) Tanaq. quoque Faber Calvinista, inter clientes Gulielmi, ut videtur, admissus (apud Lamonios primum Huetius Fabrum vidit), licet consuetudinem junxerit cum Rapino (*Menagiana*, I, 206), auxit cupiditatem adsciscendorum catholicæ fidei propugnatorum. — A Pellissone parum periculi, etiam antequam priorem cultum abjuraret, metuisse Rapinum puto. — Menagius totus erat in litteraria opera, eumque profecto eruditionis fama conciliaverat Lamoniis; ceterum Societatem Jesu summopere observabat : « Une maxime que je conseillerai toujours à mes amis, » inquit, « c'est d'être bien avec les Jésuites; pour moi je m'en suis toujours bien trouvé. Un courtisan disait, il n'y a pas longtemps, qu'il y avait autant de différence entre eux et les autres religieux qu'il y en a entre un gentilhomme et un roturier. » *Menagiana*, III, 67. Itaque ob aliquot Jesuitas in sua ipsius domo contumeliose habitos, Liniero, cujus ipse maledicentiam æquo animo expertus erat, amicitiam renuntiavit (*Menagiana*, I, 117). Non potuit tamen quin cum Buhursio jurgium susciperet.

hoc suis rectoribus fore acceptissimum si summum præsidem quam plurimorum Jesuitarum ingeniis assuefaceret.

Carminibus quoque per quæ diu poetæ famam obtinuit, Lamonii animum relaxabat : inter quæ multa ipsi sunt dedicata. Quanquam plus etiam criticis ejus disputationibus quam poematibus oblectatum esse arbitror summum præsidem, quoniam Gulielmus solebat criticorum magis quam poetarum partes Academicis suis demandare et Rapinus, quandiu ille vixit, magnam suorum carminum partem prælo non subjecit (1). Quum Lamonii, homines graves iidemque tempestive faceti atque hilares, ad leviora studia se demittebant, ita se, ut opinor, Rapino accommodabant ut Bolæi (2), familiaris sui, versus sive serios sive joculares anteferrent (3). Ipse Huetius, quamvis sibi in animum induxisset poetas latinos etiam tum posse exoriri, in Rapini carminibus facilitatem, suavitatem admirabatur, vim desiderabat : qui fieri potuerit ut Lamonii, in maximis rebus exercitati atque ingentes animos gerentes, illud saltem Rapino deesse non macerarentur ac dolerent (4)?

Ceterum, quidquid versibus vel soluta oratione

(1) Plurima ex poematiis quibus Heroïca et Elegiæ Rapini constant anno 1681 primum prodierunt.

(2) Boileau.

(3) Supervacaneum est memorare Bolæum imprimis Lamoniis placuisse, et multos eorum gratia versus conscripsisse.

(4) Fusius significabimus deinceps quid de poematibus Rapini sentiamus, ne quis illum injuriose a nobis esse habitum credat.

Rapinus condebat ex integerrimis atque candidissimis moribus proficiscebatur. Natura vero ita Gulielmi comparatum erat ingenium, ut scriptorum virtutem magis quam eloquentiam requireret (1). Quanto igitur studio Rapinum prosequebatur, in cujus mores nulla unquam cecidit suspicio! Buhursius Rapinum testatus est fuisse castissimum, patientissimum doloris, humillimum et in ægros ac pauperes mira caritate propensum : « Il a eu, dès son enfance, une pureté de mœurs et une délicatesse de conscience qui l'ont accompagné jusqu'à la fin de sa vie. Sa piété paraissait sur son visage et dans ses discours, et ce n'était que pour inspirer à tout le monde ce qu'il sentait des choses de Dieu que de temps en temps il composait des livres de dévotion... Les moindres relâchements de la discipline ecclésiastique ou régulière excitaient en lui les transports d'une sainte indignation... Il allait confesser les malades de l'Hôtel-Dieu toutes les semaines... Il prenait un jour, tous les mois, pour se préparer à la mort par un petit exercice qu'il avait composé lui-même pour son usage (2)... » Si quis Buhursium, Rapini sodalem, rejicit, adest Maria Francesca a Scudery quæ pietatem, ingenuitatem, benevolentiam viri copiose describit (3). Adest clarissima femina, Sevignea, his verbis testimonium datura : « Je vis, l'autre jour, le

(1) *Menagiana*, I, 145. « Il aimait les savants, mais il était délicat à les estimer pour tels, et si les mœurs ne s'accordaient avec la science, on n'avait auprès de lui ni crédit ni entrée. »

(2) *Vita Rapini*, p. LXXXI-LXXXV alterius voluminis poematum Rapini, in editione quæ anno 1723 prodiit.

(3) V. *Bussæi epist.*, I, 422-425.

le P. Rapin ; je l'aime ; il me paraît un bon homme et un bon religieux (1). » « J'aime toujours le P. Rapin ; c'est un bon et un honnête homme (2). » Adest Jesuitarum æstimator minime suspectus, Ste Beuve, qui Rapino per jocum compellato, inter multa maligne ac vere dicta, iisdem verbis Sevigneæ assentitur : « Vous êtes un bon religieux ; je le reconnais (3). » Quanto studio ad conciliandos catholicæ fidei hæreticos ferretur, sæpe præsentes Lamonii cognoverunt : nam duos Calvinistas ex eorum familiaribus adortus est blandis admonitionibus vel doctis disceptationibus, Pellissonem ac Tanaquil. Fabrum. Flavii *Montanerii* nomine quem carmine anno 1670 vulgato ad catholicam disciplinam convertere nititur, editiones sequentes indicant Pellissonem *Fontanerium* fuisse subauditum. Fabrum in theologicas disceptationes a Rapino vocatum docent *Menagiana* (4). Quod si apud Pellissonem Deus atque rex magis quam noster valuerunt (5), Buhursius monet Rapinum nonnullis per litteras fidem fecisse. Et Ludovicus Paris reperit notas carminibus Francisci Maucroix inscriptas a Favart, canonico remensi, quibus constat Tallemant des Réaux, 17 Jul. 1685, per Rapinum calvinismum abjurasse (6) ; uter autem ex

(1) Epist. 29 mai, 1679, vol. V, p. 531.

(2) 28 dec. 1680 ; vol. VII, p. 409.

(3) Port-Roy., II, 252.

(4) I, 206.

(5) Diserte Marcou exposuit quid Evangelium in carcere perlectum, quid regis oblata venia, gratia præmonstrata Pellissoni contulerint ut priorem religionem ejuraret (V. thesim de Pellissone, 1859).

(6) Monmerqué, *Préf. des Historiettes de Tallemant des Réaux.*

Gedeonis, narratiuncularum scriptoris, propinquis, fuerit ille quem noster convertit, Franciscus ne frater an Paulus consobrinus, haud liquet (1). Ipse quidem Gedeo anno 1667 obierat. Menagius abbatem Tallemant Academicis Lamonii annumerare videtur anno 1671 (2). Sed prænomine illius Tallemant prætermisso, titulus abbatis nihil discriminat, quippe Francisco et Paulo perinde competit. Conjicere tamen inde licet eam conversionem intra Gulielmi parietes fuisse inchoatam.

Sinceram igitur Rapini pietatem atque obsequentem Gulielmi cupiditati eruditionem, adeo acceptas Lamonii habuere, ut quoties, forensibus rebus prolatis, litteris atque amicis vacarent, illo vix carere possent et secum in Bavilleam villam ducerent (3). Ea erat comitate ut patronos suos in hospitibus urbane excipiendis adjuvaret; eum juxta atque ejus sodales, Buhursium ac Burdalœum (4) recenset Sevignea in liberali et concinno circulo ruris Bavillei (5), et tum maxime probat quum ruri, ut fit, planius cognoscenda sese præbent ingenia (6). Sales in bonam partem Rapinus accipiebat; si quod igitur Bolæi petulans dictum Burdalœi contraxerat super-

(1) V. Haag, *La France protestante.*

(2) *Menagiana*, I, 206,

(3) V. epistolas Rapini ad Bussæum, passim. — Quum Lutetiam revertebatur, Rapinus degebat in collegio Claromontano (Sothwel, *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu*).

(4) Bourdaloue.

(5) ... La bonne compagnie de Bâville, 28 oct. 1685, vol. VII, p. 469.

(6) « Je fus fort aise de les voir (Rapinum et Buhursium) dans la liberté de la campagne où l'un et l'autre gagnent beaucoup à se faire connaître, chacun dans son caractère. » 29 mai 1679, vol. V, p. 531.

cilia, se interponebat in pacificationem jubebatque sodalem æquo animo jocularia audire (1).

Apud Gulielmi filios parem gratiam obtinuit (2), usque Lamoniorum æstivo tempore hospes (3), usque cliens. Nam tota gens exploratam ejus fidem habebat : eum viderat ex morte Gulielmi mœstitiam capere vix consolabilem, et dum in ea describenda intentam atque infixam tenet mentem, in morbum incurrere : « Le P. Rapin est désolé de la mort du premier président, » inquit Sevignea (4), quæ sinceros ab ementitis fletus, ut ipsa gloriatur, dignoscebat. Ipse Rapinus ingenue dolorem suum aperuit : « Je m'étais si fort rempli la tête de pensées sur cette mort pour y travailler que je m'en suis fait malade, et voilà ce qui m'a empêché d'avoir l'honneur de vous écrire (5). »

Hoc etiam pignus amicitiæ firmum atque insigne dederat noster, quod non vulgatas modo Gulielmi laudes celebrabat, sed etiam in illo dispexerat, et, quantum fas erat, patefaciebat altiores quasdam virtutes quas multitudo vel internoscere propter levitatem nequibat, vel prædicare propter timiditatem cunctabatur : generosam dico animi excelsitatem, flagrantem patriæ caritatem, et etiam coram rege temperatam prudentia, non constrictam, libertatem.

(1) *Epist. Bolæi ad Brossette*, 15 jul. 1702, edit. Berriat St.-Prix, IV, 362.

(2) V. epistolas nuncupatorias Commentarii de eloquentia quem Christiano Francisco Lamonio dedicat et Commentariorum de Historia, de Sublimi quos Nicolao Bavilleo offert.

(3) V. epistolas Rapini ad Bussæum, passim.

(4) *Epist. ad Bussæum*, 2 jan. 1678, vol. V, p. 412.

(5) *Epist. ad Bussæum*, 12 feb. 1678, édit. Lalanne.

Multo quidem apertius æquales nostri docuere quantam constantiam, quantam interdum calliditatem osoribus libertatis et laudatoribus omnis obsequii Gulielmus opposuerit, donec quæcumque claustra libidinem regiam retardabant Colbertus perfregit (1). Perspicacitati tamen et fidei hoc adscribam quod Rapinus Gulielmum inter homines quorum vita aliquam sublimitatis imaginem repræsentaret, juxta ac Turennium, Condæum ipsumque Ludovicum XIV sic recenset ut præter abstinentiam summi præsidis (2), vel cautam in eligendis amicis sapientiam (3), grandiora quædam in patrono suo collaudaverit : « Il (Gulielmus) était attaché aux intérêts du roi, » inquit, « sans renoncer à ceux du peuple, soutenant le droit du prince devant ses sujets et le droit des sujets devant le prince, avec une prudence qui le faisait taire quand il ne fallait pas parler et avec une fermeté qui le faisait parler quand il ne fallait pas se taire (4). » Nullam quidem Rapinus omisit occasionem regis effusis laudibus prosequendi : illud tamen singulare ejus

(1) Fr. Monnier, *G. de Lamoignon et Colbert.*

(2) « Ce fut par un désintéressement si héroïque qu'on le vit laisser après lui le plus rare exemple de probité qu'on ait vu dans ces derniers siècles, de mourir endetté dans une charge qui a toujours été une source d'abondance par les gratifications de la cour. » *Du Grand et du Sublime*, edit. 1680, p. 17.

(3) « Quoiqu'il fût civil à tous, il ne s'ouvrait qu'à peu de gens, et de tous les biens dont la nature l'avait enrichi, il n'y en avait presque point dont il fût moins libéral que de sa confiance, sa discrétion ne pouvant lui permettre ce que lui conseillait sa candeur. » Ibid., p. 24.

(4) *Du Grand et du Sublime*, p. 17-18. In hunc modum jam Rapinus in epistola nuncupatoria Commentarii de eloquentia locutus erat.

virtuti apponemus quod solemnium Admonitionum (1) quas Gulielmus cum bene morato regno conjunctas censuerat, palam meminerit. Magnum igitur virum appellemus Lamonium qui civilem animum gesserit, intelligentem vero amantemque Rapinum qui ejus civilem animum patefecerit. Nec tantum noster pie recordatur quæ ipsius æquales oblivisci satius ducebant, sed secretiores quosdam patroni sensus quos ille neque profiteri potuisset, nec voluisset infitiari, verecunde detexit : aptis enim verbis significavit Gulielmum tacite doluisse quod sibi multa doctrina, strenuitate, virtute instructo, haud licuisset propius capessere rempublicam, quodque intra terminos mancæ jam debilisque præturæ suæ contineretur; denique quod rex, licet probitatem ipsius probaret donisque sponte ornaret, ipsius voluntatem tantum non suspectam haberet, ut qui fidelitatem ministrorum obedientia metiretur. Eo pertinet quod identidem Rapinus asserit Lamonii vitam in mediocribus rebus fuisse versatam, vel ut ejus vocem iisdem prope litteris transcribamus, fuisse *communem;* eo pertinet quod dicit Ludovicum tum demum ejus indolem tanti æstimasse quanti esset, quum eo caruerit (2); eo pertinet quod vivente adhuc Lamonio eum affirmat navatam a se ipso regiis partibus operam

(1) *Les Remontrances.*

(2) « Le roi *commençait* aussi à le regarder comme un des plus grands instruments de la félicité publique, quand il commença à le perdre. » *Du Grand et du Sublime*, p. 30. « Il est mort dans le temps où le roi *commençait* à le bien connaître *et à l'écouter même sur les ministres... Il allait faire du chemin*, s'il eût vécu. » *Epist. ad Bussæum*, 12 feb. 1678; Lalanne, IV[e] vol.

tanto silentio abscondisse ut quorum maxime referret illam non ignorare, ii nondum forsitan certiores facti sint (1).

Quum igitur Lamoniorum familiaritati usque Rapinus admotus fuerit, est quod inquiramus numquid eorum animos delinierit ut patronorum voluntatem suæ congregationi seu palam sive occulto conciliaret.

(1) « Ceux auxquels il importait de ne pas l'ignorer en sont encore peut-être à le savoir. » *Compar. Thucyd. et T. Livii. Præfatio.*

CAPUT TERTIUM.

DUM JESUITÆ MULTAS SIMULTATES SUSCIPERENT, RAPINUM A SUMMO PRÆSIDE NONNULLA EORUM GRATIA IMPETRAVISSE, NONNULLA IMPETRARE NEQUIVISSE; IN IPSA LAMONIORUM DOMO PARTIM AMICOS, PARTIM INIMICOS JESUITARUM NACTUM ESSE.

Sodalitati Jesu amicitia Lamonii maxime erat optabilis; quippe ordo ille strenuus et audax, ceu offensiones appeteret, non cum Jansenistis modo simultates gravissimas susceperat, sed cum contemptoribus remissiorum virtutis præceptorum: nam *casuistas*, in gremio Societatis partim educatos, despectui bonorum civium tradere vel eripere, prope æque periculosum erat. Præterea placita civilia quibus gallici regni ratio nitebatur sæpe Congregatio oppugnabat. Quum enim omnes regum ministri hoc pro certo statuerent summi pontificis potentiam apud nos eam tantum obtinere auctoritatem quam princeps concessisset, et illa tanquam arce libertatem gallicam, ut vocabant, munirent, jesuitæ adolescentulorum animos in contrariam partem abducere non desinebant. Utrum recte an injuria

facerent, ad institutam disputationem haud spectat; ceterum magna quæstio est, quum qui vetarent sacerdotes principibus imperare, juberent religionem principibus servire : nos satis sit Jesuitarum consilia proponere. Hi rebantur ipsas opiniones quæ populo maxime displiceant, si palam defendantur, audaciæ fama fere mentes occupare; si continuo instillentur, irrepere atque animis insidere; si prætermittantur silentio, quasi erroris vel desperationis confessione profligari. Forsan requiras sodalitatis prudentiam, quod implicita acerrimo cum Arnaldi fautoribus certamini, alios etiam adversarios lacesseret; quantum enim discrimen Jesuitæ adiissent, si, jam pridem diductis in duas partes magistratibus, odium romanæ dominationis asseclis Jansenistarum defensores regis adjunxisset? Sed et quum homines multi eadem sentiunt difficile impetres ut quisque in præsens tempus omittat quæ jam nunc dici non debeant; et Jesuitæ fortasse intelligebant sibi longe capitalius cum defensoribus gallicæ libertatis quam cum Jansenistis certamen impendere. Quia vero iis simultatibus multæ lites conflabantur, Rapini familiaritas cum summo præside cadebat opportuna. Rapinus docet sæpe Jesuitas, postquam ultro in angustias devenissent ancipites, mollius per Lamonium in Curia parisiensi habitos esse : quibus in articulis rerum, apud præsidem sodalibus suis illum adfuisse non dicam conjiciemus, sed ex ipsius verbis concludemus.

Diaria quidem quotidiana quibus nunc quarumque partium duces confirmare amicos et pertentare inimicos pro tempore possunt, nulla tum erant; sed

duas res Jesuitæ adhibebant quibus eamdem obirent vicem : nempe dissertationes prælis mandatas et theses in collegiis magna audientium frequentia propositas. In his audacter asserendis, præsto erat illa *pubes sagittaria*, ut Santolius, qui ejusdem deinceps expeditam petulantiam perpessus est, vocabat : scilicet adolescentes qui doctrinis quas in collegiis combiberant quasi madentes, magistrorum dictata velut pro rostris proloqui gestiebant. Sed Curia Parisiensis ne quid detrimenti potestas regia caperet, in theses exercebat cognitionem.

Forte evenit ut anno 1663, sub finem æstatis ipse natu major Gulielmi filius, Christianus Franciscus Lamonius, Jesuitarum, ut supra diximus, discipulus, thesim proposuerit, quæ procellam pœne conflavit : postquam de tota philosophia disputaverat in Collegio Claromontano coram omnibus senatoribus parisiensibus et multis aulicis, postero die, iisdem audientibus, de mathematicis controversiam iniit, in qua dum magistrorum opiniones tuetur et Copernici rationem oppugnat, decretum Inquisitionis interponebat, invisi, ut ait Rapinus, Curiæ Parisiensi tribunalis (1). Gulielmus, quum Chr. Franciscus cum eo de thesi mox proponenda ageret, Inquisitionem nominari permiserat, quod ejus benevolentiæ acceptum Jesuitas referre oportet ; solebant enim quicumque gallicam libertatem amplectebantur insalutatam prætermittere Inquisitionem. Noluit Gu-

(1) « Pour combattre le système de Copernic, il citait un décret de l'Inquisition, tribunal toujours odieux au Parlement. » De ea re v. Rapinum : *Mémoires*, edit. Aubineau, vol. III, p. 207-209. — Ipsum Rapinum Copernico diffidisse deinceps videbimus.

lielmus insigni afficere contumelia filii educatores, philosophica eorum argumenta prorsus improbando. Ceterum eatenus filium magistris obsequi jussit : nam Chr. Francisco dictavit hanc formulam quam adolescens bis in argumentatione enuntiavit : « Quo argumento ab Inquisitione petito utuntur omnes qui repugnant Copernico, quemadmodum factum a Gassendio ; per quod tamen nullam ego attribuo auctoritatem Inquisitioni in hoc regno, qui sum et ero semper libertatum gallicarum defensor acerrimus. » Quin quum nonnulli theologi *gallicani* illam cautionem minus sufficere rati, nomen Inquisitionis omnino amolitum atque amotum non fuisse ex thesi conquererentur, Syndicus vero Facultatis theologiæ rogaret ut in horum querelas animadverteretur, summus præses paternum amorem publica auctoritate armare nequaquam voluit : imo decrevit ut in rogationem Syndici inquireretur vetuitque ne quid Facultas Theologiæ hac de thesi moveret.

Nonne autem verisimile est Rapinum, utpote præfectum seu eo ipso anno, seu paulo ante Chr. Francisco educando, a Gulielmo impetravisse ut aliquid de gallicana severitate demitteret?

Hoc vero exemplum erit illustrius : Moya quidam, Jesuita, sub falso nomine Guimenii librum edidit, anno 1664, quo dissolutiora morum præcepta quæ Pascalius arguerat, ante in medium tradita fuisse asserebat quam Jesuitæ omnino essent. Liber in Curia Parisiensi fuit condemnatus, sed hoc Jesuitis datum est ut condemnaretur tanquam cujus nemo se auctorem profiteretur cujusque doctrina nonnulli possent abuti : unde nemo impressam volumini ma-

culam suscipiebat, et ipsa doctrina non tam vitiosa quam lubrica declarabatur. Qua judicum sententia Jesuitas paulo mitius tractatos dixit Rapinus (1); quantum vero salva poterat modestia, videtur confiteri se interfuisse illi summi præsidis mitigationi, quum hæc de ea re scripsit : « *Les Jésuites trouvèrent de l'accès auprès de Lamoignon*, qui en était le Premier Président (nempe Curiæ Parisiensis). Mais *comme les Jansénistes craignirent que le Premier Président ne devînt favorable aux Jésuites*, *dont il était content pour l'éducation de ses enfants qui étudiaient avec succès dans leur collège*, ils se servirent du procureur général pour en avertir le roi qui s'en expliqua au Premier Président (2). » Quoniam enim nullo Jesuita familiarius Lamonii quam Rapino utebantur, quem potius aditum apud Gulielmum Congregationi patefecisse dixerim, aut si summus præses navatam filiis suis operam pensare voluit, cui potius illud pignus gratiæ detulit quam ei qui hanc curam exceperat ?

Sed testimonia quæ perhibet Rapinus de præstitis a Gulielmo Congregationi officiis caute accipere oportet. Nam circa idem tempus Sorbona Papam errore esse immunem vel in negotiis ad religionem pertinentibus prorsus negavit : romanus pontifex adstipulatores hujus sententiæ decreto notavit. Inde magna turba et in aula et in Curia parisiensi.

(1) « Le livre toutefois fut condamné au Parlement comme un livre sans nom et sans aveu, contenant une doctrine dont on pouvait abuser, et les Jésuites furent un peu ménagés. » *Mémoires*, edit. Aubineau, III, p. 326.

(2) V. locum Rapini supra citatum. *Mémoires*, III, 326,

Quid autem Lamonius ? « Le Premier Président, » inquit Rapinus, « qui était homme de bien et éclairé, sut faire la distinction de la cour de Rome et du Saint-Siège, du successeur de saint Pierre et du prince temporel; et il disposa tellement les choses malgré les ministres (1) qui voulaient que le roi fût mécontent, qu'il s'en tint à ce que le premier magistrat de son parlement avait réglé : que le roi, pour ne rien gâter de ce qu'il avait fait à l'égard des Jansénistes, dissimulerait ce que le pape avait fait, et que les docteurs de Sorbonne ne se rétracteraient pas (2). » Hujus moderationis hortatorem Rapinum prius quam laudatorem fuisse existimo; nam similia decreto Papæ placita Jesuitæ in scholis tueri solebant, gallicani autem exagitabant. Decretum vero pontificis romani tueri Lamonius nequivit vel noluit; errat enim Rapinus : edictum Papæ Curia Parisiensis abolevit, abolitumque Sorbonæ rite nuntiavit (3).

Attamen, si Guid. Patino credimus cujus apud Lamonios auctoritati Rapinum obstitisse suspicati sumus, crescentem in Gulielmi domo Jesuitarum gratiam familiares animadverterunt. Nam, quum ageretur de lite quadam, Patinus ait : « La grande Chambre est pleine de conseillers clercs, qui seront contre les huguenots et, de plus, monsieur le Pre-

(1) Le Tellier, Colbert, de Lyonne.

(2) *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 327.

(3) *Les dernières années du card. de Retz*, par Aug. Gazier, p. 137, note. Rem totam ibi propositam reperies, quæ forsan discidium inter regem ac summum pontificem fecisset nisi card. Retzius Alexandrum septimum mitigavisset.

mier Président les hait fort, *bien qu'il ne soit encore qu'obsédé et non possédé spiritu loyolitico* (1). » Sed quemadmodum summus præses aliqua filiorum præceptoribus concessit quæ alioqui Jesuitæ a gallicano homine non obtinuissent, ita nequaquam Rapinus aut ejus sodales valuere ut ille penitus sententiam ac voluntatem inflecteret. Facilem quidem se præbuit Gulielmus, quoties Congregationis famæ parcere res sinebat vel imperatorias Pontificis romani declarationes indemnes prætermittere, quatenus religiosarum opinionum cognitionem potius quam regnorum administrationem vindicarent; sed quoties Romanorum clientes Galliæ regimen Sedi Apostolicæ obnoxium esse contenderunt, constanter obstitit.

Anno 1663, adolescentulus ex Jesuitarum discipulis de Papæ potentia ita disputavit ut eam nullis regionum terminis circumscriptam esse defenderet, neque Concilia generalia ad evellendas hæreses semper necessaria : hanc thesim quæ Rapino innocua videbatur, minus innoxiam esse Lamonius judicavit; illo auctore Curia Parisiensis eam supressit. Paulo post, quoniam alius candidatus erat expertus an condemnatam doctrinam felicius repræsentaret et nonnulli Facultatis Theologiæ consortes in jus vocati thesim excusabant, unum ex his proloquentem Lamonius interpellavit; tantæque curæ habuit gallicam libertatem, ut ipse quomodo S. Bernardi, Gersonis et Concilii Florentini sententias de summa Papæ jurisdictione interpretari oporteret disseruerit (2). Quæ Gulielmi diligentia pupugit profecto

(1) *Epist. Guid. Pat.*, 27 apr. 1660.
(2) V. Rapinum. *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 196-204.

Rapinum : tamen in relatione rei omni vituperatione abstinuit ; prioris thesis suppressioni favisse Lamonium retulit nulla adjecta interpretatione ; paulo plus audet in enarrando posterioris judicio ; nam verecunde significat summum præsidem, ubi de potestate regis ageretur, proniorem æquo fuisse ad omnia in contumeliam accipienda ; sed obscura reprehensio in apertam laudem desinit : « Il est vrai aussi que le Premier Président était délicat sur l'honneur de l'Etat, qui était sa passion dominante, étant lui-même fort dévoué au service du roi et fort zélé pour sa gloire (1). »

Quam reverentiam erga patronum Rapino vitio vertit Dominus Aubineau (2) ; alludens enim relatis supra summi præsidis sententiis, ait : « Lamoignon, au nom de la justice du Parlement, pourra vouloir éteindre le cri des consciences et obliger les âmes des Français à croire contre les enseignements de l'Eglise romaine ce que le roi a décrété... et cet odieux césarisme n'assombrit en rien le tableau des lumières, de la piété et du dévouement à l'Eglise du Premier Président. » Profecto Rapinus non tantum odio atque audacia valet quantum aliquot ex recentioribus catholicæ fidei defensoribus, et quoties eos reprehendit quos amare atque colere consuevit, simpliciter et ingenue id quod sentit explicat : nam quum (25 Sept. 1663) senatores Parisienses vetera decreta iterum sanxere quibus definiebatur numerus Religiosorum mendicorum qui in conventibus Sor-

(1) *Mémoires*, edit. cit., vol. III, p. 202-203.
(2) *Mémoires de Rapin* (préface).

bonæ possent considere, ait modo afferri detrimentum summi pontificis auctoritati cujus Religiosi solent esse studiosiores, quia reipsa Christum ac veram pietatem impensius amplectantur, ut constet, quam ceteri qui sub imperio Papæ sint (1).

In ipsa Gulielmi domo ipsoque, ut ita dicam, sinu auxiliatrices nactus erat. Nam uxor Lamonii, Magdalena Potier, quamquam, quo tempore Jansenistæ spondebant se decretum Papæ qualecumque foret accepturos, matres Agnesam atque Angelicam, celebrata utriusque virtutis fama pellecta, inviserat, a Regio-portuensibus sponte naturaque abhorrebat; erat, ut ait Rapinus, non modo probitatis, sed veræ doctrinæ observantissima (2), etiamque *antijansé-niste par humeur et par tempérament sans en savoir le fin* (3). Quin, ubi Jansenistarum consilia frangendi occasio occurrebat, strenue arripiebat : Cheronius enim quidam, postquam delectæ Religiosæ ex Regio Portu per vim abductæ fuerant, reliquarum

(1) « ... Parce que dans le fond ils ont plus de Christianisme et de vraie piété, comme tout le monde sait, que tous les autres sujets du pape. » *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 207.

(2) « Dans une grande réputation de vertu... Fort attachée à la vraie doctrine de l'Eglise. » — *Mémoires*, edit. Aubineau, I, p. 441.

(3) Ibid., III, 485. — Jansenistæ Magdalenam Lamoniam optimam Gulielmi sororem (de qua Rapinus : « Une fille d'un naturel admirable pour la vertu, élevée auprès d'une mère si vertueuse le devint elle-même. » Ibid, I, 361) in suas partes trahere conati erant, multa pecunia quam in eleemosynas profunderet offerenda (Ibid., I, 360, 361). Quam effusa fuerit tota Lamoniorum domus in largitiones docet Fr. Monnier in libro de G. Lamonio et Colberto. Si quibus igitur artibus ipsa capi potuisset Lamonii uxor, iis fuisset capta; certis temporibus omnia valetudinaria, omnes carceres Lutetiæ invisebat, ut egentibus opem largiretur; sed ea erat quæ a Jansenistis capi nequiret.

confessor erat nominatus; sed, si Rapino credimus, dum gratiam simul apud archiepiscopum et apud Regioportuenses init, fallacias cum his componere tentavit : tum Lamonii uxor monuit matrem Amelot quæ jussa erat Regii Portus Religiosas regere, se duas filias quæ ipsi instituendas permiserat, domum reducturam, nisi Cheronius excluderetur; magnus inde rumor, sed Cheronius exclusus est, et archivicarius qui eum archiepiscopo tradiderat, magnam partem auctoritatis amisit (1). Præterea, ubi rescivit Jansenistas occulte agere ut iterum conjungeretur utraque abbatia quæ Portus Regii nomine vocata erat, Cancellarium per Paulum a Calvomontio certiorem fecit. Itaque ducissa a Longueville, cujus et ceterum tenorem vitæ et pronam in Jansenistas voluntatem rex sinistre accipiebat, dum ei instituendos largitionum causa conventus approbare studet, sociosque minime suspectos jansenismi præ se fert, Magdalenam Lamoniam juxta atque Bossuetum et Mariam a Miramion nominavit (2).

Ea vero lectissimæ feminæ cui Rapinus suum de Pretio salutis (3) librum dedicavit, a Jansenistis abalienatio, quæ in Rapini cupiditates incumbebat, haud impulit Lamonium ut de Jansenistarum duci-

(1) *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 270.

(2) Jam icta erat *pax Ecclesiæ*. Ludovicus XIV vetuerat ne quos deinceps Jansenistas ducissa in conventus vocaret : « Elle lui demanda permission de faire des assemblées de gens de bien, comme de l'abbé Bossuet, Mme de Lamoignon, Mme de Miramion et d'autres personnes non suspectes pour de bonnes œuvres. Le roi, qui vit bien qu'elle voulait le surprendre, lui répondit sèchement : « Point d'assemblées, s'il vous plaît, Madame, je vous en prie. » Ibidem, III, 504.

(3) *De l'importance du salut* (1675).

bus bene existimare desineret. Theologicas quidem eorum opiniones non amplexatus est; neque in dubium voco quod Rapinus asserit, Gulielmum circa annum 1652 amico suo Gué-Bagnols vitio vertisse nomen sectæ datum (1). Verum ex ipso Rapino audio Arnaldum, quum pace Ecclesiæ composita ex latebris prodiit, tum alios Lutetiæ primores, tum Lamonios quasi triumphantem (*dans ce triomphe universel*) invisisse (2). Aliquot annis postea, Gulielmus, ut qui sibi cordi esse profiteretur quidquid Arnaldorum nomen referret, abbatem Arnaldum, clarissimi doctoris nepotem, Carnuto arcessitum humanissime excepit in villa Bavillea et sua confabulatione beavit (3). Nec tunc modo quum per regem licebat Jansenistis honorem habere, suam erga optimos viros significavit reverentiam : nam anno 1666 auctor fuerat ne durius in Episcopos qui Regioportuensibus favebant animadverteretur. In quo hoc etiam notandum est, quod, homo, ut recte intellexit Fr. Monnier (4), callidus æque ac fortis, ita orationem gubernavit, ut dum suam cum Jesuitis necessitudinem excusat et Jansenistarum occultas artes culpat, re-

(1) « Il lui faisait sans cesse des reproches de son égarement et du peu de sens qui paraissait dans sa conduite à suivre des nouveautés. » *Mémoires*, edit. Aubineau, vol. I, p. 442.

(2) Ibid., III, 478.

(3) V. abbatis Arnaldi de sua vita Commentarios, Collect. Petitot, t. XXXIV, p. 352-353 : « Après le souper, on se mit à jouer, mais M. le Premier Président n'étant point du jeu, j'eus l'honneur de m'entretenir avec lui. Sa conversation me semble en vérité préférable à tous les plaisirs après lesquels on court dans le monde... etc. »

(4) Op. cit.

gem ab omni asperiore sententia sit dehortatus (1). Quod vero in ea oratione crimen factionis Jansenistis a Lamonio illatum ait Rapinus, credo eum ipsa Lamonii verba minus bene novisse; et quidem in re non absimili video Gulielmum parcius cum viro cui tamen multum confidebat collocutum : legato enim regio qui Alethensem episcopum erat jussurus Formulæ collegarum, id est Jansenistarum condemnationi, simpliciter subscribere, per Bavilleam villam iter faciente, Lamonius hactenus Rapinum fecit certiorem : illum Alethensi suasurum esse ut de pace ageret (2). Canonicum quoque Hermant Jansenistam, tota domus Lamoniorum amabat colebatque et interdum Lutetiam arcessebat (3). Et Christ. Franciscus eadem ac pater observantia Jansenistarum virtutem

(1) « Interrogé du roi sur cette affaire, il répondit qu'on avait entrepris de lui nuire auprès de Sa Majesté, comme ami trop déclaré des Jésuites par ce qui arriva à l'occasion du livre de Guimenius qu'il épargna un peu (de quo vide supra); il avouait qu'ayant autant d'obligation aux Jésuites pour l'éducation de ses enfants, il ne pouvait pas qu'il ne fût leur ami; que d'ailleurs il avait été témoin des emportements injustes des Jansénistes dans tous les différends qu'ils avaient eus avec ces Pères, qu'il était persuadé autant que personne que ce parti qui se formait dans le royaume à l'occasion des nouvelles doctrines n'était qu'une cabale qui deviendrait pernicieuse à l'Etat; mais qu'il était de la grandeur de Sa Majesté de ne rien remuer contre les évêques qui ne fût poussé à bout, que ce qu'on ordonnerait contre eux les rendrait plus fiers s'il n'était exécuté, que les persécutions qu'on leur ferait les rendraient plus recommandables et qu'on devait faire réflexion qu'il n'y avait presque point d'exemple en France d'évêques condamnés dans les formes. » Rap., *Mémoires*, edit. Aubineau, III, p. 373-374.

(2) « Il me dit en général qu'on l'envoyait pour disposer l'évêque d'Aleth à un accommodement. » Ibid., III, 458.

(3) Vie d'Adrien Baillet, *Jugements des savants*, edit. La Monnoye, préface.

est prosecutus : nam quum Santolius diceretur apud Lamonios de Arnaldo coram Burdalœo detraxisse, testimonio gravissimis verbis concepto negavit tantam fuisse Santolio temeritatem, testatus Arnaldum a se semper cultum iri, quippe qui in primis ætati suæ ornamento esset, cujusque laudem publica vox recineret (1). Quod si Santolianorum levior existimatur auctoritas, constat Chr. Franciscum, illum Claromontani collegii olim et Rapini discipulum, quum ipsius filii præceptore egerent, Jansenistam Hermant rogavisse ut hominem idoneum reperiret, atque hujus hortatu Jansenistam Adrianum Bailletum delegisse (2).

Rapinus ergo ita fuit acceptus Lamoniis ut pro suo jure nequaquam odia cum eo communicarent. Item, quæ Rapino sodalibusque placebant, libere, quando animus ferebat, aversabantur. Non vacat celebrem controversiam suscipere, Jesuistasne an Jansenitas producere Molerius sub Veteratoris sui persona voluerit : Vavassor tamen Rapinusque, uterque Jesuita, uterque a Gulielmo dilectus, fabulam in bonam partem acceperunt : « Inde, ait Vavassor, minus si-

(1) « Je certifie à tous à qui il appartiendra qu'il n'est pas vrai que M. de Santeul ait jamais mal parlé devant moi contre la mémoire de M. Arnaud. Il sait trop bien l'estime et la vénération que j'aurai toujours pour un aussi grand homme qui a été l'un des ornements de notre siècle, et dont l'amitié m'a toujours fait honneur, pour en parler dans des termes différents de ceux du public. Fait à Paris ce 9 août 1676. » (editio secunda, vol. II, p. 155). — Annus 1676 falso indicatur, quoniam Chr. Franciscus de Arnaldo tanquam mortuo loquitur, is vero anno 1694 obiit.

(2) *Menagiana*, II, 234; et *Vita Adr. Bailleti* supra citata.

mulant falsæ pietatis alumni (1) » ; Rapinus affirmat regem voluisse simulatores pietatis in theatro derideri a Molerio, de quo ait : « Est unus ex nostris amicis (2). » Lamonius vero severius de Veteratore quam Vavassor et Rapinus existimabat, quoniam ne fabula ageretur interdixit. Ea enim fuit Gulielmi natura ut multis religionibus idemque nulli homini obnoxius foret, qua laude haud scio an nulla sit major ; sed si qua in re virtus ejus monitorem desideravisset, vitam ad severiorem normam Arnaldi, ut opinor, potius quam ad leniora consilia Rapini direxisset (3).

Sequitur ut interdum in villa Bavillea Rapinus in

(1) *Epigr.*, IV, 26. Vavassor etiam castigavit ingratos Gallorum animos qui sivissent Molerium nullo funere efferri ; percensitis quæ Molerius correxerat vitiis, exclamat :

> Gratia sed tanto quæ digna relata magistro?
> Gens ingrata, tuis invide Galle bonis !
> Comœdo incultum qui te formaret egebas :
> Comœdo ingratum qui reprehendat eges.
> Unum peccasti, Moleri : ut cetera, per te
> Debuit hoc vitium Gallia scire suum (Eod. epigr.).

Fatendum est Vavassorem septem epigrammatibus (*Epigr.*, IV, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25) hanc intempestivam sententiam versavisse, nunquam Molerium partes histrionis melius egisse quam qua nocte postquam ægrum coram populo actitaverat, mortuus sit.

(2) « Le roi les fit jouer... sur le théâtre par Molière, le plus célèbre comédien de son temps. » *Mémoires*, edit. Aubineau, I, 294. — Hoc tantum dolet Rapinus quod Molerius in simulatione describenda more suo intra naturæ fines non constiterit ; quam vituperationem tantum ad poetæ artificium pertinentem temperaturus ait : « Molière est de nos amis. » *Epist.* Bussæi (edit. Lalanne, II, 147), 13 aug. 1672.

(3) « Monsieur le premier président de Lamoignon était très scrupuleux ; il a géré pour ainsi dire une chaste magistrature, en quoi il ne ne s'est jamais démenti. » *Menagiana*, I, 345.

lubrico fuerit verbaque devorare debuerit. Ipse facete adversus doctorem Sainte-Beuve jocatus est, cujus quum sorores in inferiori domus tabulato multos juvenes animi causa exciperent, piæ mulieres quæ tabulatum superius, rectorem suum petituræ adibant, in scala trossulos offendebant (1). Rapino res haud multo expeditior erat quam illis mulieribus piis, quando in Jesuitas ii sales Guid. Patino excidebant qui Lamonii frontem relaxabant aut aliquis Arnaldorum festive excipiebatur. Profecto duo homines urbani in circulis non ideo jurgio invicem adoriuntur quia discrepant sententiis; sed qui fiat ut ipsa confabulatio nunquam sensus efferat reconditos, unde aliquod alterius dictum alter tacite, tamen dolenter audiat? Etiam in epistolarum commercio, vel qui et ab imitandis Regioportuensium moribus abhorrebant et Rapinum ac Buhursium perhonorificis peramantibusque litteris colebant, si quid alteruter in Jansenistarum indolem protulerat coarguerunt : nam postquam Buhursius ad Bussæum scripserat : « Vous avez su, sans doute, combien le roi est en colère contre les Jansénistes. Ces messieurs se sont avisés de faire une lettre latine pour représenter au pape que la corruption est générale dans le royaume depuis la tête jusqu'aux pieds. Ces derniers mots n'ont point plu à Sa Majesté (2), » Bussæus respondit : « Les Jansénistes ont un grand zèle; je le trouve même un peu indiscret; cependant les plus grands rois sont quelquefois un peu embarrassés

(1) *Mém.*, edit. Aubin., I, 57.
(2) Epist. Bussæi, edit. cit., III. 297.

avec les gens qui n'espèrent rien de la fortune et qui ne craignent pas la mort (1). » Quis vero ignorat in Lamoniorum domo ortam de Pascalii laude inter Bolæum et Jesuitam quemdam simultatem ?

Est tamen verisimile, ob tractabile ingenium, minus quam quemquam alium, Rapinum offendisse. Illam facilitatem tum exhibuit potissimum quum Adrianus Bailletus apud Lamonios fuit collocatus. Ut enim ipsi non vacavisset quas Adr. Bailleto Chr. Franciscus mandabat explere vices, ægerrime profecto tulit homo fama celebratus, victu elegans, optimatum amicitiis insignis, hominem ignotum, horridum, incultum (2) pueri nobilis institutioni præesse cujus patrem instituendum ipse olim curavisset. Quid quod hospitium et perpetuam sui copiam (3), quid quod animum filii sui, ut ita dicam, Chr. Franciscus Jansenistæ, Jansenista hortante, dabat ? Tum ipse Rapinus, quoniam adversus Regioportuenses jam scripserat (4) poterat prægravis esse Bailleto : id quasi

(1) Epist. Bussæi, 13 jul. 1677. — V. quoque epistolam Bussæi ad Rapinum qua sinistram de Retzii cardinalis secessu opinionem vituperatam quidem a Rapino, tamen ab eodem relatam, non malignitati modo hominum adscribit, sed etiam stultitiæ, 13 jul. 1675. Epistola Rapini ad Bussæum data fuerat, 3 jul. 1675.

(2) « Son extérieur (scilicet Bailleti) était plus négligé que propre. Il ne se donnait pas le temps de ranger ses habits, son meuble ni ses livres, se contentant d'ôter de la vue tout ce qui aurait pu la blesser... Il ne se chaussait jamais qu'en compagnie. » Olim consilium inierat inter Trappistas secedendi ; quaque nocte quinque modo horas dormiebat, abstinebatque vino (Vita ejus supra citata).

(3) Auctor Vitæ in præcedente notula memoratæ ait Bailletum Chr. Francisco fuisse loco fratris et optimi unius amici.

(4) Nempe *De nova doctrina dissertatio* Rapini in Jansenistas anno 1658 prodierat.

præmetuens, canonicus Hermant Adrianum monuerat ut caute iis quos apud Lamonios visurus esset se præberet (1). Ne Bailletus quidem dissimulabat quas in partes inclinaret. Postquam enim audita sacra quadam Burdalœi concione, uxor Chr. Francisci quid de ea sentiret interrogavit, nihil primum respondit, sed in eodem argumento, scilicet quomodo colenda sit Virgo commentarium scripsit patronæque dicavit, quem in Indicem referri donec corrigeretur Romana Sedes jussit; ejusdem de *Animorum Gubernatione*, de *Vita Sanctorum* scriptis Roma pepercit, verum ob id forsitan quod nomen auctoris non inscriptum fuerat volumini. Etiam in libris criticis suum Jansenistarum studium prodidit, Regioportuensium elocutionem laudando, et, nisi acceptam injuriam Menagius temere cum aliis communicat, Buhursium ac Ruæum (2) animadversionibus pungendo (3) : unde multi Jesuitæ eum mordacibus versibus incessere (4). Attamen ille Jansenistarum fautor Rapinum in suis De re litteraria judiciis multa laude cumulavit (5). Solus igitur ex iis qui aliter ac Bailletus sentiebant, noster asperitatem viri omnino mitigaverat.

Scilicet ea erat natura quæ plurimorum amicitiam

(1) « ... Quelque réserve pour ceux qu'il verrait chez M. de Lamoignon » (Vita Bailleti).

(2) Ch. de La Rue.

(3) Menagius etiam asserit Buhursium desiisse villam Bavilleam invisere ne Bailleto occurreret (*Anti-Baillet*).

(4) V. Menagium (*Anti-Baillet*); Vissac, *De la poésie latine en France sous Louis XIV*.

(5) Qua oratione, quo acumine deinceps ostendemus.

ambiret, plurimorum alliceret. Sequamur igitur illum e collegio Claromontano evagantem et undique sibi amicos comparantem.

CAPUT QUARTUM.

ET NATURA ET SODALIUM CONSUETUDINE IMPULSUM UT MAGNAS AMICITIAS AMBIRET, CONFERENDIS OFFICIIS ET ARGUTO AC BENEVOLENTI OBSEQUIO APPROBANDO RAPINUM OPTIMATIBUS CONCILIATUM ESSE.

Optimatum commercium mire appetiit Rapinus. Eo illum inclinabat morum elegantia; minutas enim urbanitatis curas quæ argutam sedulitatem requirunt ideoque rudiores homines deterrent a celebribus circulis, homines lepidi sine ullo negotio, etiam libenter expediunt, atque vel inter eos qui multo præstant opibus aut nobilitate sic versantur, sic omnia explent officia ut artem quam calleant alacriter exercere videantur. Ceterum quomodo non fuisset proclivis ad principum commercium, postquam ei Societati nomen dederat quæ si quando principum filios erudiendos suscipiebat, tanto studio ab aliis discipulis secernebat? Nam non modo nobiles adolescentulorum patres, quum litterariæ liberorum exercitationi intererant, honorificentissimis verbis salutabant (1), sed Juvencius (2), dum solenni ora-

(1) V. Vavassoris et Ruæi versus quibus Colbertum disputationi liberorum præsentem salutant, et dedicationes plurimarum thesium, nobilium adolescentulorum nomine, a Cossarto conscriptas.

(2) De Jouvency.

tione inaugurat annum 1683, interpellat honoris causa Borbonium ducem qui tum philosophiæ in collegio Claromontano dabat operam (1); et Cossartus effusissimas grates accurata oratione Armando a Conti agit, emerito Collegii discipulo, *quod totum semet Jesuitis quantus quantus erat tradidisset, donavisset, in sinum infudisset*, et asserit tantum litteris adolescentulum regiæ stirpis contulisse quantum ab iis acceperit, negatque constitui posse utrum Armando plus an Borbonio eædem debeant; tum nullum discipulum cum Armando potuisse comparari (hem tibi, Moleri!); quippe uni Armando omnes dotes, nullum vitium obtigisse.

Hujusmodi familiaritas cum nobilibus adolescentulis in Claromontano collegio suscepta, Rapino, ut opinor, aditum ad ducissam Bulloniam (2), Annam Mariam Mancinam, Mazarini sororis filiam, dedit. Ducissæ enim filius natu major, comes Ebroïcensis, cui jam nomen Turennii, clarissimi avunculi, hereditate pervenerat, moverat in eo collegio magnam sui admirationem, ibique de philosophia et de jurisprudentia, præter morem optimatum defenderat (3). Quam ob gloriolam grata Bullonia ducissa, quæ homines lepidi ingenii colebat, Rapinum in itineribus comitem assumebat eo ipso tempore : anno 1678 eum secum ad aquas calidas quas Vichy vocamus, anno 1679 ad Castrum Theodorici (4) in villam suam secum

(1) *Oratio* a. d. III kal. oct. 1647 habita.

(2) De Bouillon.

(3) V. Amedeum Renée, *Les nièces de Mazarin.*

(4) Château-Thierry.

deduxit (1). In hoc altero itinere ipse adolescentulus aderat. Ceterum Cardinalem Bullonium Rapinus jam antea cœperat observare, cui et Cardinali nominato anno 1669 fuerat congratulatus (2), et anno 1670 suum de Ciceronis et Demosthenis comparatione librum dedicaverat cum multa Cardinalis eloquentiæ laude, et titulum conversi ad fidem catholicam Turennii aliqua ex parte deferendum declarabat (3).

Colberti quoque liberi a Jesuitis instituti (4) viam forsan Rapino munierunt qua se patri commendaret, cui gratiosus exstitit, quoniam aliis ipse Colberti benevolentiam conciliavit. Nam Rapini epistolam in Appendice B proponemus mixto familiaritate obsequio scriptam qua illum et aliorum et Francisci Blondel, solertis architectæ gratia orat.

Ceteras necessitudines quomodo contraxerit nescio; sed homini concinno, ubi in magnam aliquam domum fuit admissus, ædes plurimæ patent : Lamoniorum clientem nemo exclusit. Condæum etiam in-

(1) V. epist. Mariæ a Scudery ad Bussæum, 10 jun. 1678, et Rapini ad eumdem, 20 jun. 1679, in epistolis Bussæi, edit. Lalanne.

(2) V. Rapini odam decimam. — Cardinalis Bullonius multum Jesuitis Caroloque Ruæo imprimis confidebat. Ruæi enim tum ministerio tum consiliis utebatur in ecclesiasticorum beneficiorum administratione : v. manuscriptam Ruæi ad eum epistolam, 19 apr. 1709, quam dominus Stephanus Charavay, rogante domino Tamizey de Larroque, legendam mihi præstitit ; præterea cardinalis Bullonius, quanquam regis legatus erat, ita acriter Fenelonem, Jesuitarum amicum, apud summum pontificem defendit, ut is eum appellaverit *aprum saucium* (Am. Renée, op. cit.).

(3) *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 480.

(4) Unus ex filiis Colberti, Vavassoris discipulus, in frequenti corona apud Jesuitas, 29 jul. 1667, postquam menses novem philosophiæ studuerat, disputavit (Vavassor, *Epig.*, III, 13).

visit Cantiliaci (1) : et amœnitates nobilissimæ villæ descripsit (2). Quam libenter se Jesuitis Condæus commodaverit testantur Vavassoris multa epigrammata : Vavassori licuit coram Condæo versus suos recitare et coquum deridere qui occisum ab Anguiennensi duce aprum male condivisset, et lepide jocari de centonibus quibus Condæus fuerat deceptus (3); non ita vero fuit ab illo præoccupata clarissimæ familiæ amicitia ut Rapino, quanquam Vavassoris inimico, Cantiliacum præclusum sit. Quid si percenseamus omnes optimates quorum colloquiis interfuit, marchionissam Du Vigean (4), comitissam a Clisson (5), ducissam a Châtillon, quæ alias alterius mariti nomine a Meckelbourg appellatur (6), comitissam a Pecquigny (7)? Duas ejus ad Francescam a Motteville schedulas edidit doctissimus vir Tamizey de Larroque (8), quibus commentationem ejus de confirmanda Christi divinitate probat, rogatque ut suum carpentum mittat quo ad eam salutandam vehatur.

Non patronos aucupabatur quorum beneficiis ornaretur ; nam si Lamonios excipis, nihil aliud ab amicis videtur accepisse quam hospitium quod illi

(1) Rapin, *Le Magnanime*, p. 60 et sqq.

(2) Ibidem et *Du Grand et du Sublime*, edit. 1686, p. 55, 57, 59, 60.

(3) De Vavassoris cum Condæorum domo necessitudine, v. Vavassoris *Epigrammata*, II, 36, 37, 38-45, 74, 75, 80, 81; III, 15-18; IV, 29, 30, 35, 36, 41, 61, 62.

(4) *Mémoires*, edit. Aubineau (I. 126 ; II, 457).

(5) Ibid., II, 403.

(6) Ibid., III, 46.

(7) Ibid., III, 260.

(8) *Bulletin du bouquiniste* d'Aubry, 15 février 1878.

ducissa Bullonia et Georgius ab Entraigues detulerunt (1). Sed juvabat inserere se elegantioribus circulis, interdum suam doctrinam vel prudentiam modeste approbare, sæpius interrogare verecunde, plerumque aliorum dicta silentem excipere, domumque sive factorum notitia sive litterariis judiciis auctiorem redire. Qua voluptate adeo gaudebat, ut inter Paradisi delicias prope posuerit jucunda felicium animarum colloquia ; sic enim in describenda Beatorum vita exclamat : « Où a-t-on jamais vu de compagnie pareille, surtout si l'on fait réflexion que les plus imparfaits de ces esprits surpassent en perfection les plus accomplis des hommes? Quel commerce, quelle société!... Une compagnie de la sorte serait capable à elle seule d'exciter tous les désirs d'un esprit raisonnable, pour jouir d'un si agréable commerce (2). »

Num autem iniquitas conditionis suavissimi commercii delicias nunquam corrupit? Bolæus Voltariusque experti sunt claros scriptores, si nobilitas ingenio non accederet, minimæ offensæ causa famulorum prope loco ab optimatibus haberi. Mox referemus Rapinum oportuisse Bolæo nuntiare quid in eum Bussæus contumeliose dixisset. Quis igitur spondebat nunquam fore ut Rapinus, natus non

(1) Apud hunc, qui in vico quem Auteuil vocamus villam tenebat, e morbo refectus est (Baillet, *Jugements des savants*, V, 378). Nescio an idem ille sit atque ille argentarius cujus domo, in eodem pago exstructæ, Rapinus salutem receptam imputat (V. epist. Rapini ad Bussæum, 6 sept. 1680). « ..... Au retour d'Auteuil où j'ai passé plus de trois mois chez un financier qui a le cœur mieux fait que tous les princes de ma connaissance. »

(2) *La vie des prédestinés dans la bienheureuse éternité*, ch. IX.

illustriore quam Bolæus genere, similia olim in se jactata audiret vel cogitata suspicaretur? Verum ea ætate qui sacris ordinibus, sacris præsertim congregationibus nomen dederant, ab optimatum minis etiamque contemptu erant tuti. Bussæum enim audiemus fatentem se a Reverendo Patre Maimbourg pœnas capere haud posse, et cum Rapino ferme ex æquo agentem. Inter patricios plebeiosque medii erant sacerdotes et Religiosi; vel, si ita licet dicere, optimatum natio eos recipiebat, si non in civitatem, certe in societatem. Quare ad Rapinum de litteratis eodem loco ortis, sed non idem genus vitæ amplexis, tanquam de alienis scribere poterat Bussæus. Item ad Reverendum Patrem Brulart, postquam Bolæus et Racinius maledicta Philippi Mancini ab Ambivoreto in Æduis maledictis ulti erant, Bussæus scribebat propter illa convicia, quanquam vero consentanea, tenuissimos homines istos sexcentis plagis oportuisse verberari (1); nec ullam inde in se contumeliam redundare Brulart quamvis plebeio sanguine ortus, arbitrabatur. Ipsi interdum Religiosi se, qua poterant, globo nobilitatis inserebant, unde despicerent litteratorum plebem; nam idem Brulart ante aliquot dies his verbis appellaverat Bussæum : « Vous êtes quelques-uns à cette heure qui illustrez ce corps (nempe Academiam); aussi je crois que ce qui y paraissait de pédant dans les personnes et dans les manières s'en va tout doucement (2). »

(1) Epist. 30 jan. 1677.

(2) Epist. 10 jan. 1677 in Epist. Bussæi. Quam assentationem Bussæus libenter excepit, sed quia ejus superbia in nullam adulationem imparata incidebat, ea excogitavit respondendo, quibus, nobilium nomine, delatum

Quid aliud Reverendus Pater, si marchione aliquo vel duce natus fuisset? Rapinus quoque interdum cum nobilibus amicis superbiam quasi clientelæ jure communicavit, quanquam ea vis erat in illo pietatis ut alias meminerit virtute, non sanguine, veram nobilitatem gigni : scilicet Jansenium contemnit quod is natus esset e parentibus sordidis et pauperibus (*de parents vils et abjects*), strenuamque ejus industriam aspernatur tanquam ex paupertate profectam, et materiationem quam ait illum exercuisse, vocat vilissimum artificium (*un métier si abject*) (1); et hoc arrogans dictum eorum qui dignitatem potius corporis quam animi respiciebant, æquo animo memorat : nempe non alia fuisse Arnaldum facie quam rusticos sacerdotes aut ad summum vicarios (2). Rapinum tamen laudemus quod non sæpius se unum esse ex iis optimatibus quorum

ad se gloriæ titulum occuparet simul et fastidiret : « Il est vrai, » inquit, « que l'Académie se remplit fort de gens de qualité; il faut pourtant y laisser toujours un nombre de gens de lettres, quand ce ne serait que pour achever le Dictionnaire et pour l'assiduité que des gens comme nous ne sauraient avoir en ce lieu-là. » *Epist.*, 14 jan. 1677.

(1) *Histoire du Jansénisme*, édit. Domenech, p. 3, 4.

(2) *Mémoires*, III, 481. — Rursum hæc Rapini verba veram pietatem sapiunt : « Une simple villageoise ou une pauvre bergère couverte de haillons qui sera sa mère, lui (nempe filio) paraîtra préférable à toutes les reines et à toutes les princesses du monde, parce qu'il ne juge pas des personnes par le dehors, qui est toujours trompeur. » *Perfection du christianisme*, p. 33. — « Un artisan dans sa boutique qui gagne sa vie à la sueur de son front... devient quelquefois plus agréable à Dieu, en attendant dans le silence l'accomplissement de son salut, que ceux qui font le plus de bruit par les fonctions les plus hautes, par les dignités les plus relevées et par les plus saints ministères. » Ibid., p. 41. — Sed alios quoque proferemus deinceps locos qui aulicum potius quam christianum decent.

contubernio uteretur somniaverit, gratulemurque quod homo novus inter homines veteris prosapiæ intactus a contemptu ad finem vitæ pervenerit. Semel quidem usu cognovit pronas esse offensioni principum aures. Nam quum sibi induxisset in animum Condææ genti plus sapientiæ laudem quam fortitudinis plac e, et ea mente prudentiam utique magni Condæi laudavisset in libro *De Sublimi*, Henricus Julius Borbonius ægre tulit quod bellica patris sui facinora Turennii factis quasi posthabere videretur. Frustra antequam librum ederet, Rapinus Henrici Julii animum prætentaverat; frustra spopondit, se, si cum quolibet adversario coram illo componeretur, sententiam suam purgaturum esse (1) : oportuit magni Condæi laudationem ab integro conscribere et operam Bossueti, Raciniique interponere (2). Sed id genus offensæ non ideo Rapinus vitavisset quod se intra cellulam continuisset.

Ceterum Rapino omnes dotes suppetebant quibus instructus inter homines a moribus vel opinionibus ipsius alienos cum mutua utilitate posset interesse. Sic enim ejus animum describit Maria a Scudery, dum Bussæo tradit in amicitiam : ipsam faciem viri benignitatem ac mansuetudinem prodere; ita

(1) « Enfin j'ai fait offrir par Mme de La Fayette à M. le duc que s'il voulait, pour son plaisir, me donner en sa cour quelqu'un contre qui je soutiendrais ma thèse, j'entreprendrais de faire voir que je fais bien plus d'honneur à M. le prince qu'à M. de Turenne. » Epist. ad Bussæum, 21 mai 1686.

(2) Rap. ad Buss., 28 feb. 1687. — Epist. Bussæi ad Sevigneam de morte Rapini. — Epist. Bossueti, 3 aug. 1687. — Epist. Racinii, édit. Mesnard, VI, 537.

vero se gerere ut nihil affectati sicut in plerisque eorum qui vestem Religiosorum induerent, deprehendatur; modo decorum retinere, eamque sapientiam colere quam ætas et ratio vitæ suscepta postulent; et quum probitati multam adjunxerit pietatem permulta ipsum facere religiose, aliis vero non prægravem esse qui vitiis affecti sint, sic ratum correctionem morum pendere ex arbitrio Dei, ut numen peccantium gratia implorare malit quam eos admonendo tempus terere, ubi eos intelligat admonitionibus exulceratum iri; tantum igitur pietatis exhibere quantum opus sit ut quemvis moveat non mediocriter, et probet homines exsistere liberalissimis iisdemque religiosissimis ingeniis (1). Quare ii quorum culpas placato animo ferebat, magnam gratiam habebant, ejusque virtutem eo magis amabant quod non metuebant, siquidem Bussæus, semetipsum unice diligere suetus, mira caritate Rapinum est prosecutus. Ubi se ab eo ultro appetitum cognovit, se flagrantissime cupere amicitiam cum eo contrahere respondit : « Vous voulez être de mes amis, et moi j'en meurs d'envie (2). » Et Mariæ a Scudery per quam a Rapino cœptus erat probari et amari immortales gratias pollicitus est (3). Vix inchoato epistolarum commercio, postquam resciverat Rapinum ad thermas ivisse, jam cura sollicitabatur (4).

(1) Epist. Mariæ a Scud. ad Buss., 27 jun. 1671, in epist. Bussæi, I, 422 et sqq.

(2) Epist. 2 sept. 1671. ibid., II, 24. — V. etiam epist. Bussæi ad Mariam Pratensem (M[lle] Dupré), 27 jul. 1671, ibid., I, 440.

(3) Epist., 17 jul. 1671, ibid., I, 423.

(4) « Il [nempe Rapinus] est donc malade, incommodé, puisqu'il est

Rogatus indicare quid in quodam Rapini libro notaret, jussit suas animadversiones nemini ostendi, ne quis minus hujus studiosus audiret nonnulla in illo libro emendanda Bussæo visa esse (1). Eidem ægrotanti triginta lagenas mittebat Alisianæ aquæ plenas, ut etiam Lutetiæ valetudinem curaret (2). Neminem inter amicos pluris faciebat; paucos enim perinde atque illum omni laudum genere pollere declarabat (3). Quare, ubi accepit Ludovicum Maimbourg Jesuitam ejus censuram egisse, concaluit ulciscendi cupiditate : « Rabiose inflammor, aiebat, in illum insanum qui adversus amicum nostrum scripserit (4); si quam ulciscendi viam perspicerem, non parcerem operæ; forsan et cogitata perficerem, nisi esset ille Religiosus. Neminem plus amo aut pluris æstimo quam Patrem Rapinum (5). »

At enim speravit adeo impensam voluntatem officiis viri benigni et gratiosi remuneratum iri. — Percepit quidem ex amicitia Rapini aliquam utilitatem

à Bourbon ; j'en suis un peu alarmé, car mon amitié suit de bien près mon estime. » Epist. ad Mariam a Scud., 16 aug. 1671, vol. II, p. 8.

(1) Epist., 16 aug. 1671.

(2) Epist., Rapini ad Buss,, 3 jul. 1675.

(3) « Je n'ai point d'ami que j'estime davantage que le P. Rapin. Il y en a peu qui aient sur lui tant de sortes de mérites. » Epist., 22 mart. 1672, vol. II, p. 82.

(4) Respondet Mariæ a Scud., quæ Bussæum fecerat certiorem his verbis : « Je suis bien en colère contre le P. Maimbourg d'écrire contre notre ami le P. Rapin. »

(5) « Je suis enragé contre ce fou de P. Maimbourg d'écrire contre notre ami le P. Rapin ; si je savais que faire pour me venger, je ne m'y épargnerais pas, et peut-être que si Maimbourg n'était un religieux, en viendrais-je à bout..... » 6 aug. 1677. V. etiam Bussæi, *Epist.*, 2 sept. 1677.

vel perceptam voluit. Notam enim ejus gratificandi cupiditatem habebat, et oblatam ultro operam Maria a Scudery Bussæo venditaverat (1). Eum igitur adhibuit qui filios litteris in Collegio Claromontano vacantes observaret (2) vel muneribus regiis afficiendos curaret (3), rogavitque ut sibi finem exsilii efflagitanti adesset (4). Et Rapinus, ubi freni ipsius sedulitati laxati sunt, Bussæum quantum potuit adjuvit (5). Tum ipsa optimi viri amicitia ea erat quæ famam Bussæi aliqua ex parte restitueret; id facete Rapinus declarabat (6). Quin etiam illustrissi-

(1) Buhursius, in Commentario suo de Rapini moribus, ait eum fuisse ultra opinionem officiosum nec spatium rogandi aut optandi reliquisse, et etiam ignotis adfuisse. Illud Maria a Scudery Bussæum monuerat (Epist., 27 jun. 1671 in *Epist.* Bussæi), addideratque : « Savez-vous bien, Monsieur, qu'outre l'estime qu'il a pour vous, il a souhaité d'être de vos amis pour, dans la suite des temps, avoir lieu de vous servir ? »

(2) Bussæus ad Rap., 12 oct. 1672, 28 mart. 1679; Rapinus ad Bussæum, 20 jun. 1679.

(3) « Vous connaissez la justice de mes prétentions (inquiebat Bussæus) et combien cela me donnera d'aisance pour pousser mon second fils dans l'Eglise. » Epist. 15 sept. 1678.

(4) « En écrivant ceci, il me passe par la tête que vous me mandez que vous seriez bien content si vous pouviez contribuer à mon retour. Pourquoi non, mon Rév. Père? Vous avez des amis considérables, et plus qu'il ne faut pour une affaire comme la mienne qui me semble consommée..... » Bussæus ad Rap., 12 oct. 1672.

(5) Bussæus ad Mariam a Scudery, 13 dec. 1672; Maria a Scudery ad Bussæum, 17 jan. 1673. — Rapinus suasit ut Bussæus ad inimicitiam marchionissæ a Thianges placandam prospiceret (24 dec. 1672, in Epist. Bussæi, vol. II, p. 10); paruit Bussæus, et ad marchionissam scripsit, 1 jan. 1673. — V. etiam de Bussæi restitutione, hujus epist. 6 jan. 1672, 20 oct. 1673. — Verisimile quoque est Rapino partim esse imputandum quod Lamonii Bussæo faverunt.

(6) « Je commencerai ma réponse, mon Rév. Père (scribit Bussæus), par l'endroit où vous me mandez que le commerce avec M[lle] Dupré et avec un bonhomme comme vous va me rétablir dans le monde sur la

mas in domos Rapinus contulerat beneficia non contemnenda, quoniam Laurentiam a Bellefonds apud archiepiscopum Parisiensem, Mariam Magdalenam Adelaïdam a Rochechouart apud Ferrier commendaverat, ut illa Rothomagi, hæc Fontis Ebraldini abbatissa fieret (1).

Sed quod amicis prodesse Rapinus semper voluit et aliquando potuit, non continuo oportet ejus in familiaribus adjuvandis auctoritatem et gratiam exaggerare. Postquam cœperat restitutionem Bussæi moliri, hic decem annos in exsilio continuavit; ipse monuerat se parum valere apud sodalem suum La Chaise (2). Quin instituta inter Rapinum ac Bussæum familiaritas non obstabat quominus auctionum perquisitorem Jesuitæ mitterent qui hujus reditus caperet, unde debitum minerval recuperarent (3). Denique inter nobiles Rapini amicos plurimi ejus sedulitate haud indigebant. Per alias igitur artes in eorum familiaritatem penitus intravit. Quas epistolaria ejusdem Bussæi volumina jam patefacient.

bonté, c'est-à-dire me faire passer pour meilleur que je n'y ai passé. » Epist. 25 jan. 1672.

(1) V. Rap., *Mémoires*, édit. Aubineau, III, 332; *Histoire du Jansénisme*, édit. Domenech, p. 459. — Abbatissæ Fontis Ebraldini Rapinus dedicavit librum, cui titulus : *L'esprit du christianisme*. — V. P. Clément : *L'abbesse de Fontevrault*.

(2) « Vous me dites que peut-être je ne suis pas content de vous sur le mauvais succès de ma lettre au P. La Chaise; il y a longtemps que vous m'avez dit le peu de crédit que vous avez auprès de lui, et ce n'est que comme ami du P. Verjus que je vous suppliais de faire tenir ma lettre. » Bussæus ad Rap., 23 mart. 1687.

(3) Bussæus ad Rapinum, 8 dec. 1686.

Primum hoc summatim dicam, Rapino, dum cum hominibus et multarum imaginum et multæ urbanitatis versaretur, plurima excidisse verba quæ ita auribus lenocinarentur ut meram adulationem haud saperent, sed a pio eorum æstimatore atque amatore viderentur proficisci. Ei enim contigerat arguta eademque sincera humilitas quæ ingenuis blanditiis animos laudibus assuetos singulariter permulceret. Indignatus esset, exempli causa, Bussæus, si quis plebeius solennes honores sibi tribuere præ contemptu noluisset; sed qua diligenti suorum titulorum enumeratione, qua obsequiosarum formularum usurpatione æque delectatus fuisset atque his Rapini verbis desperationem quamdam exhibentibus ea satis accurate exsequendi quæ illustrissimæ domus amplitudo requireret? « Excusez, Monsieur, si je vous écris sans façon : je prends volontiers ce parti pour ne pas méprendre aux façons qu'il faut faire aux personnes de votre qualité (1). » Tanta observantia colendos optimates Rapinus existimabat, ut vix in cœlo omnem nobilitatis discretionem tolli crederet; non enim ut sacer ille coram Ludovico XV concionator, dixit : « Moriemur cuncti vel *pœne* cuncti, » sed lucem qua pii olim illuminandi sint ait nullum *pœne* aliud discrimen ordinis, generis, conditionis relicturam quam quæ Angelos inter se discernat (2). Præterea ingeniosissimi illi optimates, quanquam se sua stemmata unice amplexari dicti-

(1) Epist. Rap. ad Bussæum, 24 jul. 1671, in *Epist.* Bussæi.

(2) « ..... *Presque* point d'autre distinction de rang, de qualité, d'état parmi les élus dans le ciel, que celle qu'il y a parmi les anges. » *Vie des prédestinés dans la bienheureuse éternité*, ch. VII.

tabant, laudem litteris comparare gestiebant; titillabat igitur sensus eorum, si quis qui litterarum artem profiteretur, eas ipsis dicendi virtutes gratulabatur quas persequi solebant. Nam cui animum tuum non aperuisti, si id in te potissimum laudat quod secreto meditaris, ipsa laude fidem facit te ex sententia rem gessisse. Ergo Bussæus admodum sibi placebat, quum audiret se solum ea simplicitate scribere quæ sordes effugeret, ea veritate quæ non insulsa videretur : ita enim Rapinus in prima ad eum epistola (1). Quid si nobilibus amicis libros suos, quum jam in litteris nomen celebratum habebat, approbabat, anxie precatus ut emendarent? Iterabat hujusmodi preces : « Un rayon de votre esprit que vous laisserez écouler sur ce livre le raccommodera et le corrigera (2). » « Si je pouvais vous engager à jeter les yeux sur ce que j'écris pour y mettre de cet air naturel qui vous est propre et qui n'est que de vous, je pourrais peut-être mériter des applaudissements (3). » Si qui precanti morem gerebant, emendationes beneficii loco accipiebat. Hæc enim ad Bussæum : « Il y a un air judicieux dans toutes ces remarques (animadversiones, eo rogante, de Comparatione Ciceronis et Demosthenis Bussæus miserat) et un discernement qui se sent si fort de votre caractère qu'on pourrait vous y reconnaître... *Ne vous lassez donc pas de moi, monsieur* (4). » Qua

(1) « ..... L'art d'écrire simplement sans paraître bas, et d'être naturel sans être plat. » Epist. 24 jul. 1671, in *Epist.* Bussæi, I, 438-439.

(2) V. epistolam in præcedente notula citatam.

(3) Epist. 6 sept. 1671, in *Epist.* Bussæi, II, 29.

(4) Ibid.

obsequentia quantum illustres amici delectarentur, Bussæi verba declarant : « Pour revenir au P. Rapin, je suis bien content de lui. Mon Dieu, qu'il me paraît un honnête homme ! Si vous saviez avec quelle docilité il a reçu les remarques que j'ai faites sur son livre, vous l'estimeriez encore plus, s'il se peut (1). » Interdum etiam, si quid illi lepide vel sapienter in epistolis scripserant, diligenter excipiebat, rogabatque veniam ut olim in libris suis insereret, tanquam sententiæ quæ illis aliud agentibus occurrerent, suas ipsius elucubrationes essent illustraturæ. Scilicet postquam ad eum scripserat Bussæus neminem Gulielmo Lamonio invidisse quippe qui extra cujuslibet comparationem fuisset positus, Rapinus qui tum summi præsidis laudationem exarabat, eam sententiam, Bussæo non repugnante, arripuit statimque in eadem aliis verbis efferenda se exercuit : « La réflexion que vous faites sur cela est juste et délicate ; c'est un trait qui ne m'échappera pas, il est trop beau, et cela est comme vous le dites. On ne loue volontiers que les gens hors de comparaison (2). » Si qua igitur materia tractanda erat quam nobiles amici cognovissent, ut ab illis adjuvaretur rogabat ; nempe de Condæo scripturus, hæc ad Bussæum : « Personne n'a mieux connu que vous feu monsieur le prince ; je vous demande en grâce comme une marque de notre amitié de me donner quelque ou-

(1) Buseæus ad Mariam a Scudery, 25 sept. 1671, vol. II, p. 34. Hæc Rapinum talem esse spoponderat (Epist. 27 juin 1671 in *Epist.* Bussæi, I, 425).

(2) Epist. ad Bussæum, 5 mart. 1678.

verture sur cela par ces traits ressemblants que vous remarquez mieux que les autres (1). »

Adde quod si qua mulier nobilis opuscula clam a se composita in aleam opinionis communis dare verebatur, illa egebat consultore modesto qui vel delinquentem in scriptis corrigeret, vel metuenti animum adderet, vel benevolentiorum judicum audientiam conciliaret. Segraisio contigit ut marchionissæ a La Fayette *Zaïdam* et *Clivianam* (2) componenti consiliaretur, Menagio, ut eidem linguæ latinæ operam danti adesset (3); Racinius ac Bolæus videntur interrogati esse an Convivium Platonis ab abbatissa Fontis Ebraldini interpretatum typis mandari oporteret (4). Similem aliquam provinciam noster alacerrime suscepisset : itaque fidem tribuo Segraisianis Rapinum asserentibus Menagio in latina marchionissæ a La Fayette institutione adjutorem fuisse (5). Præterea videmus, quum Bus-

(1) Epist. ad Bussæum, 28 feb. 1687.

(2) *La princesse de Clèves.*

(3) V. epistolas marchionissæ a La Fayette ad Huetium, 18 dec. 1662, 8 jul. 1663, in libro cui titulus : « *Un érudit homme du monde.* » auctore Henry, Hachette, 1879.

(4) Epist. Racinii ad Bolæum, 18 dec. 1679.

(5) « Trois mois après que Mme de La Fayette eut commencé d'apprendre le latin, elle en savait déja plus que M. Ménage et que le Père Rapin, ses maîtres. » Edit. 1721, p. 36. Quum quadam die Rapinus ac Menagius contendebant inter se de explicanda poetæ quem coram illa interpretabantur sententia (nam libros in prosa oratione scriptos aversabatur, nec Ciceronem attigerat), marchionissa exclamavit : « *Vous n'y entendez rien.* » Et alium sensum proposuit quem uterque verum esse confessus est (ibidem). Eas prælectiones ad annos 1662-1663 referendas esse docent epistolæ in secunda hujus paginæ notula memoratæ, quæ quidem Huetium modo, non Rapinum nominant.

sæi filiam aliqua, ut opinor, incessisset libido periculum sui in litteris faciendi, Rapinum ei lectrices, et quidem poetrias præsto obtulisse, proprios versus oppigneraturas; scribit enim ad Bussæum : « J'envoie, monsieur, des vers de trois demoiselles de mes amies (1) à mademoiselle de Bussy... Si elle veut m'envoyer de ses ouvrages, je les ferai voir aux demoiselles qui ont fait les vers que je lui envoie (2). »

Nec erat quod tantæ observantiæ optimates diffiderent : ii erant mores, is viri simplicissimus candor quem interdum ineptiæ tantum non proximum fuisse ex locis supra citatis aliquis merito suspicabitur, et aliis mox prolatis exemplis confirmabimus. In quo forsitan multi inter illos utpote nasutissimi subrisissent, nisi se ex animo ab eo diligi perspexissent. Quis enim amantissimis Rapini verbis non commotus fuisset quibus Bussæum appellat, seu declarat *se posse aliis exemplo esse quanti sit ille æstimandus* (3), seu epistolam Bussæi ad regem legendo captum misericordia fuisse (4), seu interrupto aliquantisper epistolarum commercio eum sic lacessit : « Je ne sais, monsieur, si vous sentez comme moi qu'il y a longtemps que nous ne nous sommes rien dit. Pour moi, qui suis naturellement timide, je ne m'ingère pas à parler, si l'on ne me donne de quoi, c'est-à-dire quelque occasion de service pour en

(1) Intelligit, nisi fallor, Vineam, Pratensem aliamque virginem , cui nomen fuit La Vergne. De quibus vide infra.

(2) 18 jan. 1673.

(3) Epist., 24 jul. 1671 in *Epist.* Bussæi.

(4) Epist. ad Bussæum, 18 jan. 1673. Ibid.

rendre compte, car je me vante d'être exact à cela (1), » aut significanti animi effusione prosequatur Bussæi comitatem : « Plus je reçois de vos lettres, monsieur, et plus je trouve de bonté, de véritable vertu et d'honnêteté dans votre procédé et dans votre commerce, et quand on a un peu de vertu, on ne doit être sensible qu'à cela... C'est à moi de me rendre digne de cet honneur par mon ingénuité, car de la manière que je vous comprends, on doit fort vous plaire par là (2). »

(1) Ibid., 11 mart. 1676.
(2) Ibid., 27 feb. 1672.

CAPUT QUINTUM.

IN DESCRIBENDIS VITIIS, MULTA RAPINUM IN MAJUS EXAGGERARE, NONNULLA FORTITER ANIMADVERTERE, CALLIDE ADMONERE; NON INNOXIAM TAMEN FUISSE RAPINI CETERIQUE ILLA ÆTATE CLERI ERGA OPTIMATES REVERENTIAM.

Quum vero et adeo esset occupatus in officiis urbanitatis, et in litterarum tractatione (plurimos enim libros conscripsit de quibus infra disseremus), et optimates qualecumque genus vitæ sequebantur tanta reverentia coleret, dispicere libet quatenus ad emendandos peccatorum mores tempus, voluntas, libertas suppeditaverint. Nam qui nullis sacris sit initiatus, si omni labe, omni etiam suspicione immunis vixerit, satis esse dixeris; qui autem se numini vovit, nec sacerdotis nomine contentus, in eam Congregationem est cooptatus quæ ipsa appellatione Christum refert, interrogabis quo animo libidines tulerit ab illo quem sibi exemplaris loco proposuit vehementissime detestatas. Hæc igitur disputemus; tantum caveamus ne aut Ludovici XIV æquales imitati nimia indulgentia, aut hujus ætatis morositatem secuti nimia severitate peccemus.

Magna quidem peccatores acerrimis criminationibus urgendi necessitas instabat, si iis tunc moribus vivebatur quales in suis παραινετικοῖς libris Rapinus describit. Affirmat enim quanquam plurimi sermonibus usurpent primorum christianorum castitatem, nunquam pauciores vere exstitisse christianos (1); vix aliquot pietatis scintillas inter flagitia portentosa emicare (2), infandam, inauditam nequitiam in peccatorum domibus regnare ac dominari, etiam in ædibus Deo consecratis insidere; se quidem haud scire an ultima illa ætas qua universi invicem oderint, ætas illa a Christo prænuntiata, venerit (3). Hæc est lugubris lamentatio censoris omnia in pejorem partem rapientis, vel amplificatio scriptoris cujus capiti ex ipsa oratione fervor accessit : aliis in locis animo sedatiore æquales poetas

(1) « Mais on peut dire après tout [locutione *après tout* Rapinus ad satietatem utitur] qu'il n'y eut jamais moins de vertu chrétienne. » *Esprit du christianisme*, p. 2, vol. III in editione operum Rapini quæ Amstelodami prodiit anno 1695.

(2) « S'il nous reste encore quelque étincelle de foi dans la langueur de ces derniers siècles, où il règne une corruption de mœurs si prodigieuse. » *Perfection du christianisme*, p. 93, vol. III, editionis supra citatæ.

(3) « Parce que le dérèglement du siècle est monté à un excès qui n'a rien de semblable dans tous les siècles précédents, que la probité est presque éteinte dans le monde, que la profanation de la religion est universelle et que le scandale est monté jusque sur l'autel..... » *Importance du salut*, edit. supra citata, III, 240. — « A-t-on jamais vu tant de divisions dans les familles, tant de séparations dans les mariages, tant de froideur et d'indifférence parmi les proches, si peu d'union dans les communautés et tant d'opinions différentes dans la religion?... Ces derniers temps où les hommes se doivent haïr les uns les autres..... ces temps, dis-je, prophétisés par N. S., sont-ils déjà venus? » *Esprit du christianisme*. Ibid., p. 101, 102.

ob castitatem innocentiamque laudat, eamque virtutem *cuidam quasi honestati ætatis suæ* adscribit (1), vel quod aliquis forsan mirabitur, pietatem Parisinorum celebrat (2). Et quidem Hieremiæ dicendi genus in versiculorum auctorem non cadit; nec multum abest quin subrideamus quum iis qui, perfectæ virtutis cupidi, semetipsos odere Lamoniorum conviva verba præit : « Je renoncerai à mes inclinations les plus innocentes ; je romprai les liens qui m'attachent à moi-même (3). » vel sæcula desiderat quibus dolores inter prospera homines recensebant ingemebantque quod procul a cœlesti patria degere oporteret (4).

Quoniam tamen, dum de æqualibus generaliter fert judicia, eos magnis vitiis laborare non ignorat, quibus verbis singulas classes, singulos homines castigandos putavit? Quomodo pessima illius ætatis exempla, nempe in Versaliæ luce versatos et in universorum prope Gallorum oculis positos Ludovici XIV amores, appellavit? Unus vir exstitit, qui palam e sacerdotali cathedra vetuerit ne quis impudicus peccatorum veniam inter peccandum flagitaret, negaveritque se istiusmodi veniam vel augustissimo qui usquam sit regi esse concessurum. Sed ille quo Jesuitarum Congregatio pro jure suo se venditat, Burdalœus fuit,

(1) *Eclogarum* præfatio.

(2) « Cet extérieur de réforme dont on faisait profession à Port-Royal était bien reçu *d'un peuple aussi sensible et aussi affectionné aux bonnes choses que l'est celui de Paris.* » *Mémoires*, edit. Aubineau, I, 134. — « *Paris où le peuple est dévot par inclination.* » Ibid., III, p. 16.

(3) *Importance du salut*, edit. Amstelod., 1695, III, 175.

(4) Ibid., p. 319.

non Rapinus. At enim sacris concionibus Rapinus non animum appulerat, etiamque monet non imperare Deum ut omnes se præbeant excruciandos vitamque pro aliis prodant (1). Esto, sed præter nonnullas epistolas ejus ad fidissimos amicos, tenemus codicem accurate scriptum quem nunquam in hominum manus se vivente datum iri sciebat quia liberius de multis mentionem fecisset; quibus in scriptis omnia quæ sentiebat effundere licuit, et libidines regias, si non aperte criminari, saltem quasi nutu ac significatione deplorare. Attamen iis quoties allusit, festivioribus verbis usus est quam tristioribus. Nam dum digno contemptu marchionem a Montespan afficit, qui, uxoris adulterium quod primo lucrifecerat ulturus, pullis vestibus se suamque familiam tanquam mortua conjuge induerat, monet hanc interea optima fuisse valetudine : « L'équipée que fit alors le marquis de Montespan qui prit le deuil de sa femme, *laquelle se portait très bien*, et le fit prendre à toute sa maison pour se venger de sa conduite... (2). » Item in his quæ jam proponemus, acumen scriptoris laudabis, sacerdotis gravitatem desiderabis : postquam nonnullas mulieres nobiles enumeravit quas ducissa a Longueville Jansenistis conciliavit, addit : « La duchesse de La Vallière et la marquise de Montespan, qui avaient plus de part aux bonnes grâces du roi, n'osaient lui parler que d'elles et de leurs amis, et la morale étroite ne leur convenait pas (3). » Alibi refert Jansenistas cogita-

(1) *Esprit du christianisme.*

(2) *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 491.

(3) *Mémoires*, edit. Aubineau, III, 430.

visse de arcessendo Alectensi episcopo qui Ludovicum XIV admoneret, quoniam Annatus officio deesset et Jesuitarum principes jam quartum annum pessimum istud exemplum silentio præterirent; non autem addit tantum illud consilium, quod Jansenistæ omiserunt, non id fuisse quo res in melius mutaretur; sed injicit brevem fortissimi episcopi irrisionem qui quum omnes collegisset animi vires ut in aulam tanquam alter Ambrosius prodiret, quiescere jussus est (1). Quum maxime serius est, in amico ad exsilii patientiam et cupiditatum castigationem cohortando, addit ignorari quomodo futurum sit ut Pascha in aula transigatur; nam *inter sese amantes* (intellige Ludovicum XIV et marchionissam a Montespan) *suscepisse simultatem* (2).

Apertius in privatorum peccata, quatenus universæ classes, detracta omni singulorum nota, castigandæ erant, animadvertit. Nam multa immodica sunt, plura vere animoseque notata in hoc loco quo vitiorum quasi distributionem persequitur : « Y eut-il jamais plus de dérèglement dans la jeunesse, plus d'ambition parmi les grands, plus de débauche parmi les petits, plus de débordement parmi les hommes, de luxe et de mollesse parmi les femmes, plus de fausseté dans le peuple, plus de mauvaise foi dans tous les états et toutes les conditions (3)?... » Magno-

(1) « Ainsi l'évêque, qui s'était déjà revêtu de tout son zèle pour venir à la cour faire le saint Ambroise, fut sagement contremandé. » Ibid., p. 130.

(2) « On ne sait comment Pâques se passera à la cour. Il y a de l'orage entre les amants. » Epist. ad Bussæum, 15 mart. 1679.

(3) *Importance du salut*, edit. Amstelod., 1696, III, p. 320.

pere laudandus est quod optimatum utique vitia tam multis optimatibus secum familiaritate junctis descripta proposuerit. Hæc, ut opinor, nonnullos ex amicis ejus pupugerunt : « Qui ne sait que dans ces derniers temps le libertinage passe pour force d'esprit parmi les gens de qualité, la fureur du jeu pour l'occupation des personnes de condition, l'adultère pour galanterie, le trafic des bénéfices pour un accommodement de famille (1), la flatterie, le mensonge, la trahison, la fourberie, la dissimulation pour les vertus de la cour (2)... Je ne dis rien de cette vie molle et voluptueuse de la plupart des chrétiens d'aujourd'hui, de ces attachements criminels qui durent pendant la vie, de ce dérèglement de luxe qui règne dans les mœurs du siècle, de cette ambition effrénée des grands du monde, qui n'ont l'esprit occupé que d'intrigues pour leur établissement. Ce sont là des obstacles si essentiels au salut, que les sacrements qu'on fréquente pendant que cela dure ne servent qu'à irriter encore davantage la justice de Dieu (3)... Hélas, mon Dieu ! que vos intérêts sont

(1) Scire igitur velim quo animo Rapinus abbatialia insignia minori Bussæi filio crepundiorum loco donanda, ut Bossueti verba usurpem, audierit; vereor tamen ne receptam consuetudinem et ipse receperit. Ceterum adolescentuli mores aliquantisper fuisse postea suspectos declarant epistolæ Buhursii ad Bussæum, 31 januar. 1690, et Bussæi ad Buhursium, 8 feb. 1693. — Periit quoque, si qua fuit, Buhursii epistola qua respondit Bussæo roganti ut sibi faveret ad unam ex filiabus heredem primo gradu clam instituendam (Epist. Bussæi, 27 nov. 1690. — Saltem Arnaldorum patrem vituperavit Rapinus quod filias novem vel decem annos natas exonerandæ rei familiaris causa Deo vovisset (*Histoire du Jansénisme*, edit. Domenech, p. 236, 237).

(2) *Importance du salut*, edit. Amstelod., 1696, III, 321.

(3) Id., p. 162. — Vide quoque *La foi des derniers siècles*, edit. Amstel.,

négligés dans un siècle où la foi est devenue aussi politique que dans le nôtre, et que la religion est mal soutenue par ceux mêmes qui se glorifient d'en être les colonnes, parce qu'ils sont possédés de cet esprit du monde (1) ! » Si quis nunc cum multis pragmaticis hominibus vel cum negotiatoribus consuetudine junctus, occultiores mercaturæ vel ambitionis artes patefaceret, eum animosum judicaremus : ea laude Rapinum ne defraudemus, quanquam major sacerdoti quam laïco viro apud amicos contingere solet impunitas quia in castigandis vitiis ille partes sibi impositas tueri videtur, hic ultro inimicitias appetere.

An regendos secreto amicorum mores susceperit, nescimus; itaque ignoramus num eadem illi constantia ac Burdalœo obtigerit, quem nequaquam in colloquiis minore dispendio comparandam quam in concionibus veniam peccatorum obtulisse constat (2). At si nullas objurgationes pro confessoris jure pronuntiatas, multas admonitiones proferre possumus pro benigna amici auctoritate propositas. Ejus epistolæ ad Bussæum non in officiis urbanitatis tantum aut in criticis disputationibus versantur : primum enim, quasi tacite ad pietatem hortaturus, librum de Ratione fidei christianæ (3) offert (4), dein diu-

1696, III, p. 347, 348, ubi satis vivide describit aulicos pietatem cum facinoribus conjungentes, vel magno apparatu mysteria celebrantes, vel flagitia unius diei spatio qua Eucharistiam sumpsere intermittentes.

(1) *Foi des derniers siècles*, ibid., p. 350.

(2) V. Anatolii Feugère de Burdalœo thesim.

(3) *L'Esprit du christianisme.*

(4) Epist. ad Bussæum, 27 feb. 1672.

turniore commercio confirmatus, enuntiandis artibus per quas Bussæum familiares nituntur restituere pios interponit monitus ; non regem tantum exorandum, sed eum cujus in regem imperium sit; appropinquante Pascha solenne christianorum munus explendum, quo Dei gratia concilietur ; idcirco se uxori Bussæi novum librum de religione dedisse quo ille salutis æternæ admoneretur ; hoc tantum verum ac stabile esse. « Quærite primum regnum Dei et cetera adjicientur vobis (1). » Agnoscimus Rapini ingenuitatem cui triti Ecclesiæ loci non sordent. Ceterum quoties Bussæum ad pietatem impellit commendant simplicitatem verborum gravitas sententiæ et caritas affectus : si quidem eum ex ambitioso non sapientem solum sed religiosum fieri sic jubet : ubi quis veluti Bussæus resipiscere cœperit, alienarum cupiditatum certationi tanquam scenicæ fabulæ interesse, quoniam animo tam quieto sit ut meram inde percipiat delectationem ; sed illud tantum in philosopho requiri, alia præterea in christiano desiderari ; quod Bussæus ne obliviscatur ! Optimum enim festum appropinquare : « Nam nos, inquit, ex iis amicis sumus qui unicuique rei consulant, verum ultra omnem hujus ævi terminum prospiciant, et alteram quoque vitam consulendo præsumant (2). » Vides quam callide, quam amanter præsentibus suis erga Bussæum in re profana benefactis alludat, unde major accedat piis consiliis auctoritas. Item bene valere asserit quicumque omnem mœrorem philosophia soletur,

(1) Epist. ad Bussæum, 27 mart. 1673.
(2) Ibid., 11 mart. 1676.

sed quia mera philosophia ad veram pietatem non perducat, expedire Bussæum qui magis etiam hanc quam illam amplexari velit, admoneri ut eo animum subinde convertat, et quod juste ac prudenter pro more suo exsequatur, religioni referat (1). Post duos annos, scribit se non posse tali tempore ad Bussæum epistolam dare quin aliquam Dei mentionem injiciat : tum relata ea quam supra memoravimus regis ac marchionissæ a Montespan simultate, ait Bussæum quiete sacris officiis functurum esse, cujus in animo omnia sint subacta, eumque quantum vitæ supersit, vere christianum fore; se multo ardentius exoptare ut Bussæo id contingat quam ut reditus ad aulam permittatur (2). »

Multos quoque alios, ubi exploratos ac sibi devinctos habuerit, verisimile est Rapinum similiter adhortatum fuisse, quum illum monitis adortus sit, qui muliercularum densos amores numeravisset. Non dicam eum hac modo mente in optimatum amicitiam se insinuavisse ut pravis cupiditatibus eriperet; rursus liquet non tantum expetivisse ut lepidis sermonibus horas falleret. Has equidem admonitiones verecunde amanterque auribus admotas sensim animis irrepsisse crediderim, et quemadmodum subtili ejus argumentatione aliquot Calvinistas ad catholicam fidem, sic benevolis suasionibus aliquot Catholicos ad Christianos mores fuisse conversos. Nimirum qua ætate religio non in sacris ædibus solum, sed in Universitatibus, in palatiis regum, in litteratorum

(1) Epist. ad Bussæum, 3 jun. 1677.
(2) Ibid., 15 mart. 1679.

circulis ac pœne dicam in ipsa scena dominabatur, necdum a physicis aut ab historicis oppugnabatur, penitus insidebat in puerorum mentibus; lacessita libidinibus juvenilibus, non convulsa, exspectabat donec æstus deferbuisset et frustratæ cupiditates arbitrium fessæ atque indefensæ voluntatis permitterent (1). Illuc etiam nobilitatem inclinabant communicata cum clero privilegia. Quod ad Bussæum attinet, sincerus, meo judicio, est quum jam ætate provectus et ab aula ante multos annos relegatus, non modo philosophatur, sed, Rapino, ut supra diximus, admonente, christianam orationem usurpat. Jam de insania hominum cogitare per se inceperat qui parandis rebus insudent, et ædes suas ornare animi causa, et reciprocis epistolis exsilium solari, paucioresque quam quibus aulici gaudeant voluptates paucioribus ærumnis compensare (2). Mox Deum appellare inter philosophicas cogitationes incipit; jubet enim Deum rogari ut ea lege tantum ad aulam revocetur si ad numinis gloriam vel ad ipsius salutem pertineat, testatus se si quid obsequentius aut patientius noverit, libentissime coram Deo fuisse

(1) Satis luculente Rapinus miseriam ejus descripsit quisquis libidines cum pietate sociare cupiens, hæsitatione animi sœvius fatigatur quam vere christianus vitæ austeritate exercetur : « Dans les fausses règles qu'il se fait pour soutenir son dérèglement, les combats sont plus fréquents, les victoires plus incertaines, les succès plus douteux ; il ne ressent plus de consolation ; il est dans le découragement, et de cette fausse liberté qu'il tâche de se faire, il tombe dans une véritable servitude qui le jette dans un trouble perpétuel, parce que, selon le Prophète, il n'y a pas de paix pour l'impie. » *Importance du salut*. Edit. Amstelod., 1695, III, 79.

(2) *Epist.* Bussæi, 20 nov. 1671.

effusurum (1). Præsertim in morte Gulielmi Lamonii piam commentationem his verbis concludit : « Mon Rév. Père, je ne finirais point, si je voulais vous dire tout ce que cette mort m'a fait penser (2). »

Hoc tamen doleas quod plerique ex illis peccatoribus illustrissimis quorum pœnitentia et delicta pari fama vulgata sunt, tum ad bonam frugem se recipiebant quum peccandi facultas defuerat. Continuatis quantum potuerant voluptatibus, occasiones delinquendi retro sublapsas cupide prensabant. Vel quum moribus corrigendis animos sincere appulerant, alacriter in sueta flagitia mentibus provolabant. Vix quatuor et viginti dies effluxerant ex quo rerum humanarum inconstantiam deploraverat doloremque ob Gulielmi Lamonii mortem conceptum Deo leniendum commiserat, quum sic mulieri cuidam respondit interroganti quid si quando alteri alterius copia contingeret, inter se transacturi essent : « Nihil si invicem amare desierimus, omnia si perrexerimus (3). » En quem culparum pœnitet! En cujus ob emendationem Rapinus Deo gratulatur et sibi placet! Docilis ille admonentium auditor, sexaginta annos natus, spem adulterii fovet! Eumdem cum Maria a Scudery (4) deprehendas non adeo proterve, ambigue tamen colloquentem ; hæc et ipsa cum Ra-

(1) Ibid., 23 déc. 1672.

(2) Ibid., 12 déc. 1677.

(3) *Epist.* Bussæi ad dominam a Seneville, 1 jan. 1678.

(4) Hanc Tallemant des Réaux vocat *une des plus grandes hâbleuses de France et une demoiselle romanesque qui mourait d'envie de faire un roman*, ideoque Georgio antea nupsisse ait. Edit. Monmerqué, IX, 137, 144.

pino consuetudine conjuncta est, et, collocandi olim filii causa, multis sanctis necessitudinibus munita; sed vesperi, dimisso pio familiarium cœtu, epistolas ad Bussæum exarat quibus parum obscure significat se aliquo egere quem deamet; nunc submœstis litteris explicat quam difficile sit amicos reperire (1); nunc queritur quod abbas a Choisy quum sit jucundus, urbanus, et amicitiæ opportunus, amore tanquam nugis puerilibus oblectetur; se vero, ubi ex eo quasi morbo sanatus fuerit, primum in ejus familiaritate locum pactam esse; tum unam ex mœchis Bussæi in amatorem abalienatam sic purgat ut iste nebulo (2), iste pudicitiæ expugnator, victoriæ commemoratione perfruatur ac superbiat (3). Alias se amicitiæ peritiorem quam Bussæum amoris asserit, monetque amicorum perinde atque amantium teneros esse animos; et percontata quam formosam feminam in Burgundia ille assectetur, rogat num a pulcherrimis tantum mulieribus deliniatur; se quidem conjicere etiamque audire mansuetas, festivas, jucundas viris diutius placere; spectari pulchritudinem in pactione conficienda; inita vero familiaritate, nihil oculorum arbitrio permitti, animi solum ingeniique valere judicium; quia vero Bussæus per jocum asseveraverat aliquam abbatiam ei cujuslibet amore potiorem visum iri, protinus Maria respondet id falsum esse, et quanquam haud lenocinari soleat, quosdam existere a quibus amari tanti sit ut S. Dionysii

(1) Epist. aug. 1671, in *Epist.* Bussæi, II, 3-4.

(2) « Vous autres fripons... »

(3) Epist. 5 nov. 1671, in *Epist.* Bussæi, II, 45.

abbatiam minoris faciat (1). Femineas artes versantem Bussæus pungit ac vellicat : interdum ejus vices dolet quod talem maritum sit nacta qualem amare nequiverit ; illa subiratis verbis respondens, Georgium mortuum laudat, ita vero ut palam fiat eum a se observatum, cultum fuisse, non amatum ; nonnunquam omnem illi amorem sordere Bussæus fingit ; ne hoc quidem ab illa ferri vidimus ; aliquando Maria ait se, quoties de amore dicere incipiat, ab unoquoque silere juberi, quippe quæ in tali argumento plane rudis sit, nedum sui documentum dederit, totamque rem divinatione quadam, non usu cognoverit (2). « Apage ! exclamat Bussæus, apagesis ! nihil est quod te artis amatoriæ antistites doceant, quod quidem attinet ad disputationem academicam ; eam scientiam didicisti dum amicos unice diligis. Num quos amatores habueris, nescio ; verum, si ita est, rem prospere occultavisti, tuumque cor integrum esse quispiam dixerit (3). » Quemadmodum pueri pædagogo inspiciente pensis incumbunt, eodem averso ciconiarum colla curvant, sic Rapini amicos credas coram eo vultus componere, inter se genio indulgere.

Non tamen ad irritum omnino reciderant ejus admonitiones, neque illi mentiebantur, si quando pios sensus præ se ferebant : iisdem enim in rerum articulis quibus gravissima oratione Rapinum alloquebantur, eadem inter se utebantur : sic enim Bussæus

(1) Ibid., vol. II, p. 164.
(2) Epist. 8 dec. 1672, in *Epist.* Bussæi, II, 184.
(3) Epist. 18 jan. 1673.

ad Mariam a Scudery de Gulielmi Lamonii interitu : « J'admire le monde, c'est-à-dire je le méprise fort quand je fais réflexion sur la mort du Premier Président et sur tous ces mariages. Messieurs de Lamoignon et de Basville sont présentement abîmés de douleur et ne croient pas se pouvoir jamais consoler. Les gens qui se marient sont transportés de joie et ne croient pas jamais avoir d'affliction : cependant les uns et les autres se trompent; les peines et les plaisirs se suivent nécessairement dans la vie, et les peines sont bien plus fréquentes, comme dit le proverbe : pour un plaisir mille douleurs (1). » Sed hoc ausim affirmare : quod tot viri feminæque, christianæ religionis tenacissimi, ad castos mores lentissimo gradu redibant, et ad vitia omissa furtim recurrebant, et Rapinum et universos sacerdotes causæ pro virili portione fuisse imprudentes. Profecto pietate, continentia, doctrina, eloquentia, religionis majestatem ornabant, facilitate, humanitate amœnitatem commendabant; quum vero optimates sic observarent ut vel impudenter peccantes effuso obsequio prosequerentur et amplissimis laudibus palam cumularent, et populum dominis suis etiam injuste imperantibus morem gerere juberent, quomodo principes viri in libidinibus non acquievissent quæ nec suam potentiam labefactare, nec famam imminuere viderentur? Nisi forte viatorem in viam ancipitem ingressum citissime revocabis si floribus humum consperges! Bussæum cupiditatibus eripere Rapinus constituit : euge! Idem Bussæum exulan-

(1) Epist. 11 dec. 1677.

tem flagrantemque merita invidia honorificentissime salutat, oblectat, consulit, fovet : quid aliud igitur quam justæ pœnæ noxium quantum potest subtrahit? — At salva dignitate cum famoso viro se gessit. — Fateor; concedo nunquam illi inter jocandum eas cavillationes excidisse quas, ut laïco homini concessas, ita in Religioso aliquid habentes offensionis Buhursius interdum effudit (1) ; ideo raro petulantioribus dictis aures ejus violatæ sunt, quamvis neque Bussæus nec Bussæi similes Religiosorum pudori parcere solerent (2). Sed aliud est sui reverentiam aliis injicere, aliud cupiditatum alienarum impetus retundere.

(1) « Quelque envie que j'aie de vous entrenir, je n'ai pas le temps. Il a plu à un conseiller de la Grande-Chambre de fourrer un de mes amis dans les cachots de la Conciergerie, et cette affaire m'occupe tellement depuis quelque jour que je ne suis pas à moi. C'est grande pitié que d'avoir un juge pour partie, *et par dessus cela un dévot. Il vaudrait mieux avoir affaire au roi et au pape.* » (Buhursius ad Bussæum, 9 jan. 1679 in epist. Bussæi). — « J'étais à l'église avec deux dévotes, Monsieur, quand vous m'avez fait l'honneur de me venir chercher. Je les aurais volontiers quittées, mais on ne m'avertit point, et je fus jusqu'à souper ce qu'on appelle en direction. Je prétends bien réparer cette perte chez vous au premier jour, Monsieur, et quand je vous préférerai aux bonnes âmes, il faudra que vous me préfériez, s'il vous plaît, au beau monde. » Id., ibid., 17 jun. 1678.

(2) Bussæus Cosimo Folietano nuntiat se desiisse unam ex amici suis cujus Cosimus erat confessor, amare, quum paulo ante versum Ovidianum dictitaret : « *Aversor morum crimina, corpus amo,* » rogataque venia ob istum versum interpositum, addit illum luculenter significare quod in mente habeat, idque satis esse (25 dec. 1667). Cf. celebratissimum sermonem marescalli ab Hocquincourt et Patris Canaye. V. etiam *Segraisiana*, edit. 1721, p. 118-119. Ad ipsum Rapinum Bussæus scripsit de marchesina a Montespan : « Un peu de religion, un peu de politique et beaucoup de dégoût de l'usage d'une même viande obligeront le roi de la quitter avant qu'il soit peu. » 2 jul. 1677. Vol. III, 298.

Optimæ voluntatis Rapinus fuit : inter dominantium præconia jecit interdum gravia verba, et, si placet, fortia ; in nuncupatoria ad Delphinum epistola quam suo de Poetica commentario præmisit, suppresso ne adulari videretur nomine suo, hæc legere est : « Et s'il arrivait jamais, Monseigneur, ce qui arrive rarement aux princes, que vous ayez l'esprit assez éclairé pour connaître la flatterie et l'âme assez forte pour la mépriser... » — Sed in eodem loco docet suum librum scriptum esse quo magni poetæ artem laudandi Delphini discerent. Non igitur timet ne qui se prius laudatum intelligat quam aliquid boni fecerit, speret olim se etiam tum laudatum iri postquam aliquid fecerit mali?

Non accipiendum est quod dixit abbas a La Chambre : « Il [nempe Rapinus] servait Dieu et le monde par semestre. » Sed Cartusius ab Argonne, qui hanc vocem excepit (1) neque alioqui Rapino infensus est, hoc argute sapienterque de Religiosorum ad Bussæum epistolis : « On y voit des directeurs de conscience, tantôt en court manteau, dire de précieuses bagatelles, tantôt en longue soutane, jeter à la traverse des semences de dévotion dans cette terre inculte, et, après ces coups fourrés, revenir à leurs premières plaisanteries pour ne pas ennuyer l'auditeur par la longueur de leurs sermons (2). »

Illius ætatis ecclesiasticis non virtus in agendo, sed libertas in sentiendo defuit : nam dum universam civitatis formam tuentur quasi a Deo constitu-

(1) *Mémoires du Chartreux Bonaventure d'Argonne*, edit. 1725, I, 101.
(2) Ibid., I, 326.

tam, pœnitebat eorum animadvertere vitia quorum cum innocentia salus civium erat conjuncta; ergo ut pii homines ne suæ opiniones labefactentur ab hæreticis libris solent abstinere, sic ne eos minoris existimarent quibus parendum esse censebant, in optimatum delictis connivebant. Itaque in suo Commentario de Eloquentia sacerdotem vetat de episcopi vel præfecti officiis concionari, quia istas generales disputationes aliqua personarum nota consequitur; et presbyterum hispanum deridet qui Philippum IV ea mente in oratione castigaverat ut aut promoveretur ad episcopatum aut in exsilium abigeretur, sed nec præmio nec pœna dignatus est (1). De reverentia cum veritate in regum historia conjungenda ambiguam sententiam explicat (2). Ceterum profitetur lectores in suo de Historia commentario reperturos esse : « *le bon sens tout simple*, » potius quam : « une finesse de politique qui est ce que les curieux recherchent le plus dans l'histoire, parce que la politique est la plus vaine de toutes les sciences, et que le bon sens en est le fondement le plus universel et le plus solide. » Itaque Tacito maledicit quod multorum judicia corruperit, civilis scientiæ studium injiciendo : « Qu'il a gâté d'esprits par la fantaisie d'étudier la politique qu'il inspire à tant de gens et qui est l'étude la plus vaine de toutes ! C'est où tant d'Espagnols, comme Antoine Perez, et tant

(1) *Réflexions sur l'éloquence de la chaire*, ch. 34 (in Commentario de eloquentia).

(2) *Réflexions sur l'histoire*, n° 27.

d'Italiens, comme Machiavel et Ammirato, ont échoué (1). »

Inutiles futuras fuisse objurgationes quibus peccantes sacri concionatores interpellavissent, fuse in Ratione religionis christianæ defendit Rapinus, ubi postquam dixit qui vere sit christianus, semetipsum castigando, aliis opitulando, experimentum sui edere, adjungit : « Voilà ce que c'est que d'être chrétien, et non pas faire mal à propos le zélé sur la conduite des autres. » In tolerandis igitur aliorum vitiis acumen ingenii virtutemque exerceri oportere; sacerdotes qui tractandos animos profiteantur, famam severitatis aucupari non debere (2) ; quin etiam ait : « Il est toujours moins dangereux et souvent plus profitable de parler des hommes à Dieu dans le secret de la prière, que de parler de Dieu aux hommes dans l'éclat et le tumulte de la prédication (3). » Hac mansuetudine et facilitate primi, inquit, christiani se commendaverunt (4). Esto, sed si peccantium flagitiis labem haud adspergebant, eorum tamen virtutes non laudabant. Quoniam igitur notare libidines Ludovici XIV vel in secretis chartis supersedebat Rapinus, quid eum, tanquam excellentissimum regum exemplar, laudem omnem excedere declarat, quem si digne laudaverit, unum ex maxime

(1) *Réflexions sur l'histoire*, n° 28. — Nunc Machiavelli fortunam dolet : mox Homeri sortem miserabitur.

(2) *Esprit du Christianisme*, edit. Amstelod. 1695, p. 30, 35, 38-40.

(3) Ibid., p. 40.

(4) Ibid., p. 30.

difficilibus maximeque utilibus operibus perfecerit (1)?

Sed præterquam quod sincera quidem sed immodica potestatum reverentia tum linguam tum mentem constringi passi sunt et Rapinus et ceteri, duæ res illos præteriere : in hos enim errores contrarios inciderunt, ut nec quantam vim sua ætate religio cum gravitate morum conjuncta obtineret satis perspicerent, nec quam dissimilis forsan insequens ætas futura esset satis prospicerent. Inde minorem quam res ferebat, auctoritatem in bonorum voce vel silentio positam esse plerique existimaverunt, rursus suas potestatum laudationes iisdem olim animis perlectum iri quibus tum audirentur credidere. Equidem quoties reputo, regnante Ludovico XIV, non solum religionis reverentiam prope universis fuisse insitam, sed maxima sanctitate plerosque homines ex media classe, multos ex judiciali ordine, multos e nobilitate provinciali vixisse, et Jansenistarum austeritatem placita theologica per se Gallorum ingeniis parum accommodata commendavisse, quum intueor hujus disciplinæ asseclas vel sæviente rege in opinionibus permanentes et calamitatem mendacio anteponentes, statuo mecum si catholicæ fidei antistites clarius apertiusque significavissent potestatum vitam a christianis moribus abhorrere, regem aulicosque cautius etiamve sanctius se gesturos fuisse. — Tu vero, dicet aliquis, anathematizari regem sicut Philippi primi sæculo, vel populum per sacras conciones incendi jusseris? — Non ita, sed qui Burdalœum imi-

(1) *Du Grand et du Sublime*, edit. de 1686, p. 68.

tari non sustinebant, in diocœses et parochias suas secedere potuerunt, et quadam vultus tristitia libidines principum virorum incusare. Quorum si non citius emendavissent mores, tamen ætas insequens non catholicis sacerdotibus crimini vertisset quod optimatum vitia omni ope atque opera occultavissent ac ferme fovissent; nisi forte quis ignoret et Voltarii et nostra ætate sacros decimi septimi sæculi oratores in adulationis crimen sæpissime venisse!

CAPUT SEXTUM.

NIHIL OBSTITISSE QUIN INGENIOSI CUJUSQUE NECESSITUDINEM RAPINUS OPTARET ; EUM CUM OMNIBUS PROPE ÆQUALIBUS LITTERATIS HABUISSE COMMERCIUM.

Præter nobilissimas mulieres quas Rapinus coluit, iis quoque solebat feminis se libenter immiscere, quas minus illustri loco natas industria in litteris feliciter posita commendabat. Epistolam ejus exhibent Domini Rathery et Boutron qua poeticam floris cujusdam descriptionem, ad se a Magdalena a Scudery missam sic admiratur ut lepidos illius versus ipso flore esse venustiores affirmet et quasi contactu manuum Magdalenæ quodlibet formosius effici ; præterea iisdem litteris restitutas in melius res Pellissonis (votre ami, monsieur Pellisson) gratulatur (1).

In aliarum quoque doctarum virginum commercio acquiescebat, Mariæ scilicet Pratensis (2) quam suus

(1) « Tout ce qui passe par vos mains se perfectionne, et c'est un de vos admirables talents de donner de la grâce à tout ce que vous touchez. » 22 nov. 1665 (Rathery et Boutron, *Mlle de Scudéry*, p. 447. V. ibid. alias ejusdem ad eamdem epistolas, p. 462, 496.

(2) Du Pré., vel Dupré.

avunculus, Rolandus Maresius (1), latinum sermonem docuerat, dein ipsa discendi cupiditas italicæ linguæ et philosophicarum disciplinarum notitia instruxerat; tum Annæ Vineæ (2), quæ et ipsa philosophorum placita hauserat, et cujusdam cognatæ Cartesii, quæ, si nihil aliud, clarissimi viri memoriam colebat. Non tristem aut superbam eruditionem illæ assectabantur quanquam hæc quam tertio loco posuimus pusillo fuit ingenio; nam quum ei contigisset, ut vetus quidam Calvinistarum antistes, religionis causa fugiens, in tali rerum articulo moraretur visendæ ipsius causa, et ex animo amplexatus de singulis quæ ad mortem Cartesii pertinebant certiorem faceret, frigidissimis commentis et perquam inertibus versibus narrationem deformavit (3). Verum Maria Pratensis, quanquam Cartesiana cognominari meruerat, et Anna Vinea inaffectatis versibus non invita Minerva animum sibi oblectabant (4). Ex raris utriusque poematiis quæ supersunt (5), aliquot versus non inelegantes excerpas, seu A. Vinea, cui morbo laboranti aliquis per jocum se epistolam e Campis Elysæis scribere finxerat, respondet amorem in istis regionibus ignorari, seu eadem, recepto

(1) Roland Desmarets. Is fuit frater Maresii Sansorliani (Desmarets St.-Sorlin).

(2) De la Vigne.

(3) V. compilationem poeticam Buhursii.

(4) Rol. Maresius spoponderat Mariam Pratensem nunquam doctrinæ copia inflatum iri quippe quæ nondum adulta magna sedulitate in re familiari curanda muniisque domesticis obeundis matri adfuisset (Epist. ad Mar. Pratensem in Epist. Rol. Maresii, II, 52).

(5) V. compilationem Buhursii.

gratulatorio carmine et lyra aurea smaltitaque (1), ignoto laudatori, si nomen profiteatur, amorem pollicetur, Mariam Pratensem monens ne præ sua austeritate frontem contrahat, nam si laudator ille promissam mercedem postulaverit, se ludos facturam :

> « Que votre austérité se rassure...
> Je lui dirai s'il vient : Je me suis repentie
> Et vous venez trop tard. »

seu Maria Pratensis objicit fore ut tanta mercede proposita quivis honestus vir gratulatorii carminis se auctorem mentiatur.

Mar. Pratensis multis ecclesiasticis fuit familiaris : nam Flexerius (2) in gallicam Academiam cooptatus, absentem Bussæum ut collegarum suffragia quasi rata haberet, virginis nomine rogabat (3); ipsa mortuo Reverendo Lallemand, Sanctæ Genovefæ Priore, Universitatis Cancellario, Rapini amico, maximo dolore se affectam testatur (4). Quid quod Bossuetus roganti ei ut Magdalenam a Scudery certiorem faceret quo animo Pellisso mortem exspectavisset, fuse satisfecit et ut semetipsum diligere pergeret eam oravit (Opera Bossueti, edit. Lachat, XXVI, 462). Rapinum habuit carum, et eloquentem esse ac jucundum in sermocinando, quidquid amaret studiose colere, integramque probitatem et inculpatam virtutem exhibere affirmavit (5). Ceterum Rapinus bene

(1) Propter odam qua finxerat Delphinum regis victorias extollere.

(2) Fléchier.

(3) Epist. ad Bussæum in Bussæi epistolis, 28 jan. 1673.

(4) Epist. ad Bussæum. 19 mart. 1673, ibid.

(5) « Il est éloquent, d'une conversation agréable, zélé pour ce qu'il

existimavit tum de poetica ejus facultate (1), tum de benignitate (2).

Non est quod miremur cur inter amicos in Rapini libris vel epistolis nominatos plurimæ mulieres occurrant : quippe eæ illi obtigerant virtutes quas feminæ requirunt, eæ deerant quas minus desiderare solent. Nam ejus pietatem, humanitatem, comitatem prænuntiabat gratiosæ tunc Congregationis vestitus, usus confirmabat, mediocris doctrina condiebat. Placuit igitur et placere gavisus est (3). Quum enim eæ tunc exsisterent feminæ quæ non modo satis magnam disciplinarum copiam sed proprias muliebrium ingeniorum venustates in medium afferre possent, nullus erat cœtus qui illa velut luce ac suavitate careret; itaque, unoquoque scriptore illuc alacriter advolante ubi potissimum plausus lenocinarentur superbiæ vitaque ipsa, ut sic dicam, materiam scribendi suppeditaret, si quem tetrica natura

aime, tout plein de probité et d'une vertu sans reproche. » Ibid., 18 mart. 1672.

(1) Epist. Mariæ Pratensis ad Bussæum, 29 mart. 1678. Ibid.

(2) Epist. Bussæi ad Rapinum, 25 jan. 1672. — Reperias quoque in chartis Valentini Conrart (*Bibliotheca Armamentarii*, t. XIII, p. 309) ænigmata quæ invicem mittunt Maria Pratensis et abbas Cotinus, et (p. 417-418) poematia Annæ Vineæ de quodam hispano monacho qui ejus amore captus fuerat dum inter se bellum gerebant Hispani Gallique, anno 1668; et (p. 419-424) epistolas minimi quidem momenti Valentini Conrart ad Annam Vineam.

(3) Bussæus ad Rapinum scripsit 20 oct. 1673 : « Ma femme et mes filles vous assurent de leurs services très humbles. Mlle de Bussy se porte fort bien; mais elle dit qu'elle aura désormais l'honneur de vous voir saine ou malade, car vous lui serez bon en quelque état qu'elle soit. » Edit. Lalanne, II, 308.

a feminarum consuetudine abalienavisset, illum ipsorum litteratorum societate se abjudicare et Musas quasi repudiare oportuisset. Rapinus qui intelligeret quanti illæ tunc momenti essent vel in rebus ad religionem pertinentibus, earum amicitiam ambire ausus est, ita vero ut quod videretur ridiculum clam chartis committeret : siquidem in mulieres ob intemperans cognoscendi studium facete cavillatur, quæ antea Ecclesiæ de *gratia Dei* dogmata, tanquam mysteria, celatæ, Jansenistas adamarent qui arcana patefacerent et semi-pelagianorum hæresim atque Arelatense vel alterum Arausionense concilium garrire instituerent, tanquam idem esset Jansenistas ac doctas fieri (1). Ceterum formosis ingeniorum disceptatricibus verecundius quam nonnulli ex collegis interfuit ; nam præterquam quod ejus mores omne crimen effugerunt, omni inverecundo lusu in carminibus abstinuit. Comem atque festive urbanum se præbuit, amatorculi partes aliis reliquit. Nempe in *Hortis* suis providet ut puellas nemora invisuras carpenta excipiant (2), Nymphasque, ut ait, jubet flores capiti gremioque ornando carpere (3). Sed iis amoris lau-

(1) *Mémoires*, edit. Aubineau, I, 95-96.

(2) Si vobis horti, nemora aut spatiosa terantur,
Non desint quæ vos portent carpenta, puellæ
Et matres, ne forte pedes via longa fatiget.
Quanquam prævalidas labor is quoque forte juvabit.
(*Horti*, secund. carm.).

(3) Si se tum virides Nympharum turba per hortos
Effundat, manibus flores decerpere plenis
Ne dubitet, textisque imponere serta quasillis,
Unde sibi plexam componat quæque coronam
Et caput atque sinus lectis de floribus ornet.
(Ibid. prim. carm.)

dationibus abstinuit quas tum vel castissimi exsequebantur, nam Vavassor sibi sumebat ut Elisabethæ a Guise, ducissæ Alenconianæ formam epigrammate laudaret in quo quia pictor aliquis, ducissa in habitum venatricis efficta, nervum arcus delineare omiserat, scribit : « *Venatrix oculis vulnerat illa suis* (1), et in vi amoris jocaretur, tum quidem procacior quum in aliorum poetarum sententiis stylum exercet : scilicet in latinum sermonem convertit epigramma cujusdam Galli de puella cujus frater totam vitam ludendo continuabit, nisi prius ludere desierit quam ipsa amare (2), et Anthologiæ græcæ versus poetæ confitentis magnum pudori suo imminere periculum, si in eum Bacchus cum Venere ineat fœdus (3). Nec Buhursius amatorios veritus est amicorum versiculos prælis mandare (4). Rapinus Vineæ Pratensisque versus nihil aliud quam laudavit, argutis sententiis delectatus, in amatoriis connivens, ut qui earum innocentiam haberet exploratam, et quæ scribere non dubitavissent se salva conscientia auditurum esse arbitraretur (5).

(1) Vavassor, *Epig.*, II, 34.

(2) Ibid., III, 20.

(3) Ibid., III, 63.

(4) Eam compilationem jam memoravimus.

(5) Propriam facultatem carminibus in vulgari eloquio condendis cautissime expertus est. De gallico ejus carmine quo aliquot suos versus interpretabatur, mentionem fecit Bailletus (*Jugements des savants*, V, 378) : periit illa interpretatio. Forsitan, dum sodalium suorum vernaculos versus legebat, id judicaverat quod aperte Juvencius postea declaravit : *in iis Jesuitas ineptos vulgo et ridiculos esse* (Ratio discendi, p. 86). Juvencio assentietur quisquis gallicos Commiri vel Gabrielis Le Jay versus a Buhursio in compilatione citata editos cognoverit.

Sed dum magnas vel ingeniosas amicitias huc illuc persequitur, interdum in eas necessitudines incidit quas tum illi honori versas nos homini religioso vix condonaremus. Quo enim vultu vir castissimus quasdam mulieres salutavit quæ in fabulis hominum fuerant propter procacitatem, Bulloniam scilicet ducissam et principissam a Meckelbourg? Ne Mariam quidem a Scudery tanta fuisse non dicam morum sed ingenii mentisque castitate crediderim quantam Rapinus debuit requirere. Sed Rapinus quas nunc tenemus ejus epistolas haud legerat, et multi non ex nobilissimis modo sed ex integerrimis eam invisebant (1). Verum ducissæ Bulloniœ et principissæ a Meckelbourg profecto errata non ignoravit (2). Quid quod formosissimæ feminæ quas invisebat, de cupiditate quam injecerant sui coram eo non reticebant, siquidem una ex iis Rapino narravit Senensem

(1) De epistolis quibusdam Mariæ a Scudery supra egimus. Hæc præter illustres viros, Noailles, de Guiche, d'Elbène, S. Aignan, Sobieski (V. Marcou, *Etude sur Pellisson*) amicum habuit Mascaronem, Tutelæ episcopum (Epist. ad Bussæum, 15 jan. 1672 in Epist. Bussæi). De industria pios viros feminasque ut domum suam frequentarent adduxerat : « J'ai fait mon fils d'Eglise ; je prétends en faire un prélat, » scribebat ad Bussæum. « Que faire autre chose quand on est né avec quelque qualité sans bien? Et entre nous je suis ravie dans cette vue que ma cour soit un peu ecclésiastique ; j'ai pourtant sans vanité des amis de toutes les couleurs... M[lle] de Vandy est guérie : nous sommes éternellement ensemble, elle, M[lle] de Portes et moi. Je vous assure que je me trouve délicieusement avec mes deux dévotes. Il n'y a point de coquette à la cour de si bonne compagnie qu'elles. » Epist. ad Bussæum, 12 aug. 1672, in Epist. Bussæi.

(2) Quod ad Meckelbourg pertinet, v. infra. Ducissam Bulloniam, quum comes a Louvigny plus æquo placuisse diceretur, in Monstroliense monasterium familia sua jusserat aliquantisper secedere (Am. Renée. *Les nièces de Mazarin*).

archiepiscopum nunquam secum esse collocutum nisi submissis genibus (1)? Sed tanti erat istius modi narratiunculis aures commodare, quoniam et per hanc feminam fautoris Jansenistarum apertissimi libidinem deprehendebat, et per quascumque fere nobilissimas mulieres supra memoravimus, de multis rebus quæ ad eosdem pertinebant certior factus est (2). Præterea qui clientelæ munere in optimatum atria reciperetur, ceteros hospites bono vultu excipere cogebatur.

Ceterum in circulis ingeniosis tantas percipiebat delicias, ut, etiam si non prospexisset Commentariis de Jansenismo diligenter conscribendis, levissimorum quoque hominum familiaritati, modo urbani forent, obvium se obtulisset : nisi forte quum exsulantis Bussæi amicitiam ambivit, testimonia quibus opprimeret Jansenistas quæsivit! Bussæus, Bussæus, inquam, aulicorum ille mulierosorum signifer, ille tot feminearum culparum instimulator ac proditor, in amicitiam a Rapino provocatus est. Noster enim rogavit Mariam a Scudery ut unum e suis scriptis ad eum transmitteret et qualis homo esset describeret. Mariæ si credimus (3), auditis quæ Bussæi dictitarent inimici, Rapinus perspexerat eum bonum esse, sed tanquam puderet aperire quæ Bussæus profiteri supersederet, fingebat se acuto tantum ejus ingenio pellici. Præposteram illam perspicacitatem nos credulitatis nomine vocemus; sed is fuit Rapinus qui

(1) *Mémoires*, edit. Aubineau, II, 492.

(2) V. locos supra in notulis 4, 5, 6, 7, paginæ 45 indicatas.

(3) Epist. ad Bussæum, 27 jun. 1671, edit. Lalanne, I, 422-425.

ingeniosos homines benignis animis esse crederet, ne abstineret eorum commercio.

Sed adeo nulla eum res ab elegantibus circulis amovit, ut non solum cum amatoribus consuetudines fecerit, verum cum Jesuitarum inimicis, id est cum Jansenistis. Nam cum Liancurtiis, Arnaldorum fautoribus, habuit aliquid rationis, quoniam quum, 9 jul. 1663, fama ferretur jam restitutam Ecclesiæ pacem, eorum ædes adiit, dixitque se venire ut reconcilianda gauderet concordia (1). Marchionissam a Sablé, quæ quidem quarumvis partium homines excipiebat, sæpissime invisebat, postquam ex Portu Regio in fratris domum concesserat (2), acumine ejus captus, quo nullam feminam marchionissæ præstare judicabat (3). Hoc etiam asserebat quod absolute confirmare multæ cautionis esset, nullam unquam mulierem diligentius omnia officia præstitisse (4). Quam ad rem ejus opera marchionissa usa fuerit (5), nes-

(1) Hoc e commentariis Des Lions excerptum referens Ste-Beuve addit : « On voit que le P. Rapin, quand il était livré à lui-même, à son naturel poli et obséquieux, faisait la meilleure mine aux personnages puissants et de condition qu'il a si peu ménagés dans ses Mémoires. » *Port-Royal*, VI, 363. Sed Liancurtium Rapinus in Annalibus Jansenismi honorifice solet appellare.

(2) « Elle tenait son cercle sur la nouvelle opinion en la rue des Petits-Champs. Sa réputation y attirait les beaux esprits, mais on l'accusait toujours de n'être pas aussi partiale que le demandait l'intérêt de la nouvelle doctrine ; car pour grossir sa petite cour elle recevait des gens de contrebande. » *Mémoires*, edit. cit., vol. II, p. 430.

(3) Ibid., I, 29.

(4) « Il n'y eut jamais de femme plus exacte sur tous ses devoirs. » Ibidem, I, 31.

(5) « Je la voyais fort alors parce qu'elle avait besoin de moi. » Ibid., III, 431.

cio; aliud enim, opinor, præstitit quam ut ejus amicos secretas condendorum acetariorum artes quas illa tenebat, edoceret (1). Expeditius est indicare quid marchionissæ Rapinus debuerit : nempe nonnulla de Jansenistis documenta; ex ea exempli gratia rescivit objurgatum Pascalium ob falsa crimina quæ in epistolis ad Provincialem deprehenderentur, respondisse culpam eorum esse quorum memoriales libros nihil aliud quam digereret (2).

Quin etiam, Rapinum vix credo, adeo familiaritatem ambiebat celeberrimi cujusque vel adversarii, ignoravisse Nicolium rogari ut ipsius Hortos emendandos susciperet. Ceterum Nicolius eam curam deprecatus est ac fastidiit : epistolam enim de ea re hactenus ineditam proferemus.

Multum vero abest ut omnes Rapini amicos enumeraverimus. Alicubi enim dixit se cum quolibet ætatis suæ litterato viro consuetudinem habere (3). Neque est quod vaniloquentiam illi imputemus. Multos tamen præsto habebat eorumdem quibus erat initiatus sacrorum participes, homines in studiis eloquentiæ et poeseos occupatos, tum sua recitandi cupidos, tum ad aliena audiendum patientes, ita ut eum credideris mane cum sodalibus litterarum quasi sitim explevisse, reliquam diei partem officiis urba-

(1) « On souhaiterait avoir le secret de la faire (scilicet acetaria in cœna apud Lamonios commodissime condita); je tâcherai d'avoir le temps pour vous aller le demander moi-meme. » Quam Rapini schedulam in tabulis marchionissæ repertam Ste-Beuve commemoravit.

(2) *Mémoires*, II, 395, edit. Aubineau.

(3) « J'ai commerce avec tous ceux qui se mêlent d'écrire. » Epist. ad Bussæum, 24 dec. 1672 in Epist. Bussæi.

nitatis implevisse. Inde quidem cum multis Jesuitis partim amicitias copulavit, partim simultates exercuit. De simultatibus deinceps disseremus. Quot sodales ab eo fuerint Lamoniis commendati supra conjecimus. Inter Jesuitas nullum impensius dilexit quam Buhursium, assiduum comitem quum ad autumnalia vel æstiva, ut aiebat, stipendia, Bavilleum rus petens, proficisceretur; quas litteras ad Rapinum vel de Rapino scriptas tenemus, Buhursii quoque mentionem plerumque faciunt. Non idem tamen omnino contigerat utrique ingenium : Buhursii enim ut mores fortasse leviores, ita consideratius judicium, ut qui ex operibus litterariis quæ placerent æqualibus, iis modo attenderit quibus ætas illa vere esset idonea (1). Insigne vero dederunt fidei documentum, quoniam communis apud eosdem innotescendi ac placendi cupiditas eos non ad obtrectandum inter se, sed ad diligendum impulit (2).

Sed præter illos tanquam necessarios conversatores, multas sibi familiaritates noster adscivit. Non modo latini poetæ, Car. Perrerius et Santolius eum colebant (3), sed et Pet. Costar et Capellanus (4)

(1) Habitu quoque corporis differebant : subrubicunda erat Buhursii facies, Rapini vultus pallidus; unde Sevignea : « Le P. Bouhours cependant qui était son intime ami, et que j'accusais toujours d'avoir bu tout le sang du P. Rapin, qui était plus pâle que la mort.... » Ad Bussæum, 2 dec. 1687 (Sevigneæ Epistol., VIII, 142).

(2) Buhursius mortui amici probitatem virtutemque apta ad persuadendum et ad movendum oratione cognoscendas proposuit.

(3) Adeo Rapinum observabant, ut quum de latinæ poeseos principatu uterque contenderet, Menagius vero primas vicissim agere juberet, Rapinum arbitrio recepto arrogantiæ titulum ipsis deferre et oppigneratos nummos in corbonam vicinæ Ecclesiæ demittere passi sint.

(4) Chapelain.

consuetudinem cum eo fecere. Petrum Costar Rapinus appetierat amicitia, jesuitæ Briet hortatu, postea ut unum suarum epistolarum librum G. Lamonio dedicaret impulit; Costar acceptis versibus quos Rapinus de morte Alph. Mancini scripserat, testabatur sibi beatum videri poetam qui suas calamitates sic defleret ut ejus lacrimas omnes liberales homines adamarent (1); mox nostrum alterius Theocriti nomine appellavit (2). Capellanus honorificum de Rapino fecerat judicium quum anno 1662 ad Colbertum de litteris retulerat (3). Ætas injuriosa quæ plus quam quatuor millia epistolarum a multis ad Capellanum datarum nobis invidit, viginti epistolas Rapini ad eumdem absumpsit (4).

Etiam cum clarissimis ætatis suæ scriptoribus aliqua necessitudo Rapino intercessit : nam Bossuetus, quem jam diximus cum Maria Pratensi urbanitatis officiis fuisse conjunctum, in re difficili hærentem de qua supra disseruimus, eum adjuvit. Bolæus ipse, quanquam in condendis versibus latinis operam male poni arbitrabatur, nostrum haud contemnebat, sed alter alterum comiter excipiebat (5). Quin etiam Rapino, quia pariter erat Bolæo Bussæoque familiaris, molesta obtigit provincia, ut quæ posterior in prio-

(1) Epist. Petri Costar, t. II, p. 422.

(2) Ibid., p. 877.

(3) « Il excelle dans la pureté, dans la clarté, dans le nombre et dans la délicatesse, et dans la pompe quand il le faut, pour les vers, dont il a donné mille preuves... »

(4) V. Tamizey de Larroque, *Lettres de Chapelain*, vol. I, p. x, n. 3.

(5) Nondum Jesuitæ ceperant Bolæum tanquam hæreticum vel plagiarium increpare.

rem atrociter ac contumeliose fuerat minitatus, ad hunc perferret. Postquam enim Bussæus, lecto Bolæi de Batavo bello poemate, argumentum carminis exile esse judicaverat, et fabulosa poetæ commenta culpaverat (1), aliquis falso, ut opinor, rumore deceptus monuerat ultionis cupidum esse Bolæum; itaque Bussæus epistolam ad Rapinum scripsit incredibilis arrogantiæ plenam quam nemo hodie est qui sine mixta contemptu indignatione legat (2) : huic epistolæ supra allusimus.

Cum Racinio quoque habuit commercium. Ipse et Buhursius, venditandi sui ordinis cupidissimi, Racinium olim deduxerunt ad Villerium, sodalem suum, audiendum, qui quidem laudibus Henrici Borbonii laudes innectens Condæi, sic hæsit in rebellionis salebris ut ampla pugnæ ad portam Sancti Antonii narratione Racinio dederit quod cavillaretur; Racinius tamen cum utroque comite domum reversus, coram epistolam Bolæi recitavit, iis tantum suppressis quibus Nicolius laudabatur; nam prælegens oculis quod erat recitaturus ne imprudens in aliqua verba jansenismum redolentia deveniret, conspicatusque Nicolii nomen, fortiter vel potius ignave (sic enim loquitur) locum integrum prætermisit; ceterum affirmabat utrumque inter optimos viros esse reponendum (3). Quin etiam nobilissimus ille tragœdia-

(1) V. Bussæi epistolas, 4 sep., 5 oct. 1672.

(2) Ibid., 10 apr. 1673. Solerter salva cum dignitate Bolæus ad Bussæum rescripsit (ibid., 25 mai. 1673); unde Bussæus iram molliit, superbiam autem non posuit (V. Bussæi epistolam, 10 feb. 1675).

(3) Epist. Racinii ad Bolæum, 5 sept. 1687, edit. Mesnard in Collectione dicta *Les grands écrivains de la France,* VI, 609.

rum scriptor, etsi Bolæum præsto haberet cujus disciplina operosus expeditorum versuum scriptor evasisset, dum Buhursii arbitrio fabulas suas permittebat, Rapino quoque approbabat (1); et postquam ad Thomasum Cornelium et Bergeret solenniter excipiendos Academiæ præfuerat, tria suarum orationum exempla ad Buhursium misit, quorum hic unum sibi retineret, unum Patri a La Baune, tertium Rapino daret (2).

Nulla indicia deprehendi alicujus consuetudinis quæ Cornelio vel Fontanio cum Rapino intercesserit. Sed quod ad priorem attinet, vel si plures quam paucissimas Cornelii epistolas teneremus, senectus ejus destituta, inops, ideoque morosior ultro appetentibus amicitiam fortasse aditum impediebat; quam tamen expugnavit Caroli Ruæi pia veneratio et imitandi diligentia; num Ruæus sodales secum in familiaritatem senis inducere tentaverit, nescio (3).

(1) *Les grands écrivains de la France*, p. 515-516.

(2) Ibid., p. 526-527.

(3) Ruæus nomen Cornelii cum Jansenistarum utique nominibus conjunxit quos tanquam sibi et Cardinali a Furstemberg deditos appellat :

Venient ad sacra vocati
Qui me cumque suo vates dignantur amore,
Qui te cumque colunt : aderit Cornelius ingens,
Lauricomam attollens cano de vertice silvam,
Grandiloquo cum fratre : trement sola pulsa cothurnis.
Impellet citharam Dircæi carminis ales
Perrerius ; dulci lectos Rapinus in horto
Sparget humi flores ; inverget lactea Friso
Flumina ; vina dabit cyatho Santolius aureo ;
Balsama Rothomago mittet Commirus ab alto.

CAPUT SEPTIMUM.

QUI POEMATA RAPINI PERLEGERIT, IN EO ACUMEN CUM INEPTIA CONJUNGI SATIS COMPERTURUM ESSE.

Postquam de moribus atque institutis Rapini, deque suscepto ab eo tenore vitæ disputavimus, restat ut de fœtibus illius ingenii disseramus, qui magno fuerunt adjumento ut tot sibi conciliaret necessitudines.

Primum de latinis carminibus dicemus, in quibus eum excelluisse sui æquales judicaverunt, nostri credere quam experiri malunt. Vir non indisertus, Aubineau, Rapini versus hac ætate minore fama celebrari asserit quod pueros ad litteras accedentes Universitas magno pretio nihil doceat (1). Ego, ne extra quæstionem institutam evager, hoc tantum asseverabo, nunquam magis inopem rerum, aut magis insulsam mihi videri Rapini orationem quam quum ejus versus lego. Ste Beuve, dum familiaribus

(1) *Grâce à l'ignorance que le régime universitaire entretient à grands frais parmi les classes éclairées.* — Præfatio ad editionem Commentariorum Rapini de Jansenismo.

verbis Rapinum appellat, ait : « Les vers latins sont votre fort; vous en avez fait de faciles et de coulants, sans aucune originalité toutefois; cela n'est plus possible (1). » Quam laudem Rapini carminibus S[te] Beuve impertiit, concedo; quod vitium notat, et ipse deprehendo; sed alia insuper vitia quæ animadvertere supersedit, indicabo.

Multos versus lepidos elegantesque e carminibus Rapini excerpas; ac ne quis putet illud a nobis fastidiosius concedi quam sincerius credi, proferemus vel designabimus locos in quibus ea laus eminet: nam vel asperrimus versiculorum contemptor fatebitur in primo Hortorum libro virginis in tulipam conversæ reginæque marito suspectæ quæ *tabuit in florem* casum festive narrari, tulipam ipsam concinne describi. Hos de convolvulo versus fama diu celebravit :

Et tu rumpis humum, et multo te flore profundis,
Qui riguas inter crescis, convolvule, valles,
Dulce rudimentum meditantis lilia quondam
Naturæ, quum sese opera ad majora parabat.

In secundo ejusdem poematis libro, lepidis versibus suadet ut muri gelsimino prætexantur et aura mali aureæ odore inficiatur; et pastores sub arboribus amores suos caste cantare permittit mixta elegantiæ gravitate :

Fors et erit festis, pago plaudente, diebus,
Ut resonent hilares non unam Amaryllida silvæ.
Nil tamen incestum lucis agitate sub altis,
Pastores! Sacro nemorum sed parcite honori!

(1) *Histoire de Port-Royal*, II, 252.

Vos, folia et rami, vos alta silentia, testor;
Est Deus, est vestris Deus in penetralibus ultor,
Justa parum castis mittat qui fulmina lucis.

In tertio, causas ex quibus fluvii exsistunt variasque ducendæ aquæ artes jucunde describit. Alia etiam poemata Rapini multos venustos versus exhibent; difficile enim aliquis feliciore oratione matrem Christi concipientem exprimet quam Rapinus :

Exin ubi castum cœlesti pondere ventrem
Sentiet afflatu divini numinis auctum... (1).

Juvat etiam apud Rapinum pastores audire Mariam virginem per filii blanditias implorantes (2). Ne miseratio quidem et dolor quibus lector moveatur ab ejus versibus omnino absunt, quum Alphonsi Mancini, discipuli sui, mortem deplorans, memorat qua alacritate puer olim Romæ, patriæ urbis, meminisset, qua tristitia ejus mortem ceteri discipuli defleverint; vel se ipsum dicit non funebrem pompam pueri prosecuturum, sed solum deinceps ad tumulum iturum ut libere ei illacrimet cujus ornando ingenio, instituendis moribus omni opera incubuerit, cuique animam efflanti adfuerit (3).

Sed præterquam quod Rapini veneres interdum languescunt, vel diffluunt et in inveniendo plus æquo similis est sui (4), est ubi judicio destitutus

(1) *Secunda ecloga sacra.*

(2) *Undecima ecloga sacra.*

(3) *Eclogæ variæ*, lib. II, eclog. 9, 10.

(4) In primo utique Hortorum libro, multæ Metamorphoses e quibus flores exsistunt, vix differunt inter se. In Mariæ nativitate atque

videtur: Quid enim ineptius quam pastor ille qui absentis Mariæ virginis nomen in arbore inscribit (1), vel tauri qui eam loquentem præ reverentia non interpellant (*nec ausos, Virgo, tuas ullo mugitu rumpere voces*)? Rapino condonemus istam, si ita dicere licet, delicatam pusillamque pietatem, quæ in infantia potissimum Christi Mariæque delectetur; hanc etiam feramus filio ludenti serta intexentem; sed quis ferat Christum in agno equitantem (*simplici ludens equitas in agno.* — Ode pastoralis in Eclogis variis)? Quod quidem frigidissime dictum ipse postea quum omnes simul Odas edidit, suppressit, felicior si nunquam excogitavisset. Antiquorum deorum nomina evangelicis narrationibus in-

in ejus oblatione (Eclog. sacræ) nihil aliud quam Virgilianos locos longius circumducit. — Prosodiæ vel metricæ versuum minus diligenter Rapinus obtemperat; σιγματισμῷ, ut vocant, persæpe peccat; ubi expedit, ultimam vocis *ego* syllabam producit, ultimam vocis *virgo* breviat; primam vocis *aperio* in septima ecloga sacra producit. Sed illa leviora sunt, et dictionis salubritate compensantur. — Hoc tantum obiter animadvertam quod negligendum haud videtur : ut primum versibus omissis prosa utatur, latinum sermonem Rapinum quasi dediscere : nempe, dum aliquid secus esse significare vult, ita scribit : « *Quod non existimo* (De carmine pastorali, » edit. 1659; p. 113). In consilii et voluntatis significatione, verbum *pro* sæpissime adhibet, quum latina lingua *ad* vel *ut* desideret (De disciplina universa culturæ hortensi VII, X, XVI, in fine, et sexcentis locis). Veros etiam solœcismos deprehendas : scilicet vocem *primus* in vocis *prior* loco positam (De Carmine pastorali, edit. 1659, p. 91), vel verba in hunc modum continuata. « *Non ignoras... quod nullæ sint occultiores insidiæ* » (Epist. ad Cibum Cardinalem, p. 17). « *Quum non appareat unquam quod Sedes Romana suum interposuerit judicium pro causa definienda.* » Id. p. 28. — « *Orat eum ut... instrui velit per legatum.* » Id., p. 32. — « *Est enim horribile quæ cogitent et quæ minentur.* » Id., p. 37. — *Regem tam coli, tam amari dignum.* » Id., p. 40.

(1) Nona ecloga sacra.

terposita multi æquales acriter vitio verterunt; sed contaminatarum religionum crimini crimen insulsitatis conjungendum fuisset, quum Solis in Auroræ sinu concepti fabulam ad festum Virginis Annunciatæ recitavit, vel recitandam dedit (1) : scilicet Terram fingit inani in spatio per tenebras libratam lucem a Jove petiisse ; hunc convocatis in concilium Diis prædixisse virginem in Orientis regionibus natam lucis creatricem fore, si modo Deus aliquis adjuvet; eam curam Apollinem recepisse. Qua commentatione quadringentis ferme versibus explicata electam a Deo Mariam Virginem docet.

Ceterum paucis omnis hæc disputatio expedienda est : quoties Rapino argumentum non suppeditat amplam nominum eventuumque materiam, etiam si tractet quæ maxime cordi habeat, aut in Virgili vestigiis serviliter atque intempestive insistit, aut inepta pleraque comminiscitur (2).

(1) *Heroïc.*, I, 4. — Quinta Heroïca ad idem festum pertinet; secunda in festum Virginis Purificatæ conscripta est. Effusa in Virginem, seu, ut ipse ait, nympham aut Parthenidem Rapini pietas aliquando hæretice sonat : nemo enim, nisi fallor, theologus huic versui assentietur :

Nondum mundus erat, quum jam formata puella (*Eclog. sac.* II).

(2) Vide ut in Eclogis sacris flores sub passibus Virginis nascentes, pastores ejus adventum canentes, præmia canentibus distributa, rerum naturam absente Virgine contristatam describat; ut in morte Alphonsi, alumni sui, Arcadas inducat quorum unus puero mala aurea seposuerit, quæ Lycidas et formosa Alcinoe frustra rogavissent (*Eclog. variæ*, III). Non solum rationem ordinemque Virgilianorum carminum exsequitur, vel singulos versus imitatur, sed aliquot dicta semel atque iterum imitatione exprimit. — Quod spectat ad frigida commenta, vide Heroïcum carmen primum in quo postquam Christus in monte Oliveti patrem imploravit, Angeli patrem filio placare nituntur, pater vero respondet,

Quæ quum ita sint, si, ut Aubineau voluit, Universitas gallica causa est cur hodie pusilla ista carmina sordeant, est quod illa glorietur, non quod erubescat. Quin quum integra vigeret jesuitica juventutis instituendæ ratio in istiusmodi lusiunculis versata et circa epigrammata vel emblemata vel ænigmata Rapini sodales occuparentur, in magno discrimine fuerunt Galli. Nam ea disciplina dum ingenia videbatur acuere, extenuabat reipsa et hebetabat. Feliciter evenit quod et Regioportuenses et ipsa gentis nostræ indoles fortiter restiterunt : illi enim quos sua austeritas, ut acute de A. Persio vir sagacissimus admonuit, nugas litterarias contemnere instituerat, gravitatem præsertim in scriptoribus laudandam esse docuerunt; et nostrates præ ingenita quadam prudentia a delicatis ineptiis abhorrebant. Quantum autem periculum litteris impenderet, Rapinus ipse exemplo est quem nec sua pietas nec sua doctrina adversus istam fatuitatem satis muniverunt. Illa quidem propter quam et sibi et aliis admodum placebat ingenuitas ingenio ultro offecit, sed eam disciplinam erat amplexatus quæ nimiam simplicitatem condiret, non corrigeret.

Itaque si alia opera intuebimur quibus postea, omissa poesi, vacavit, mirabimur in eodem homine singularem insulsitatem ac singulare acumen esse potuisse.

tum unus ex Angelis Christum adit et *mulcet miserans sermone paventem.*

CAPUT OCTAVUM.

QUAM MULTA LEVIA VANAQUE SINT IN EJUS COMMENTARIIS; QUAM INEPTE PRUDENTISSIMAS ETIAM SENTENTIAS SUAS IN PERVERSUM MUTET.

Inter eas ineptias quas interdum effudit, non illas opiniones referemus quas illi vel pietas non intempeste anxia attribuit, vel æqualium plerique præ se tulerunt. Nam cur recentium physicorum reperta irriserit, et acerrime retinendam Peripateticorum rationem censuerit, et Cartesii placita elevaverit, non imperitia potius causæ fuit quam perspicax quidam impendentis religioni periculi metus. Alii etiam ea ætate suspicati sunt homines mox ad credendum christianis dogmatibus fore segniores; multi pro Stagyrita adversus Cartesium steterunt quia omnis antiquitatis reverentiam cum Ecclesiæ salute, omnis novitatis gratiam cum ejusdem discrimine esse conjunctam credebant. Sed quamvis multam turbam fecisset Galilæi disciplina, pauci ex hoc exemplo collegerunt fore ut vel in aliis quoque articulis physica cum opinionibus Ecclesiæ parum congrueret, vel homines sueti iis tantum assentiri quæ vera

esse aut computando conclusissent aut oculis deprehendissent, minus tractabiles fierent quam qui veritatem per abstrusas contemplationes seu per rhetoricæ ludos quærere solerent. Quum igitur plerique adversus contumacium modo vel libidinosorum impetus protegendam esse religionem putarent, Rapinus cum paucis eos exagitavit qui omnia ad calculos atque ad decoctionem, ut ait, vocarent (*aux expériences et à la distillation*), novamque philosophandi rationem inferrent pietati detrimentosam (1). Quapropter Comparationem Platonis Aristotelisque edebat, *ut palam fieret antiquitatis notitiam humanioresque litteras tanquam tela esse quibus potissimum christianus errorem propulset ac mendacia*, ratus hanc operam non contemptum iri, si quis præsenti pace atque prosperitate religionis haud præoccupatus animadvertat ob pessimam cognoscendi libidinem in Germania et in regionibus septentrionalibus novum philosophandi morem disseminari qui protinus ferat ad impietatem (2). Etiam aiebat se sperare non passuros esse civitatis administratores antiquas deseri docendi vias, quoniam religionis interpretes soleant per philosophiam tradere divinorum dogmatum explanationem (3). Itaque ejus in Platonem et Aris-

(1) *Préjudiciable aux bonnes mœurs et dangereuse à la religion.* — Avertissement de la Comparaison de Platon et d'Aristote.

(2) « ..... Si, sans se laisser éblouir au calme et aux prospérités de notre religion qui nous paraît si florissante, on veut faire réflexion que, par une démangeaison de curiosité très dangereuse, il s'élève dans l'Allemagne et dans tout le septentrion un esprit nouveau de philosophie qui va de droit fil au libertinage. » *Comparatio Platonis et Aristotelis*, admonitio ad lectorem.

(3) « ..... Vu particulièrement que la philosophie est un des organes

totelem effusa et interdum sagax admiratio est : Aristotelis præsertim mirificos de logica libros stupet, quo firmius ullum monumentum et quidem super fundamento maxime fragili ac mobili, nempe super cogitatione et loquela, ab hominibus ædificari posse negat ; quin sublimitate viri qui tantum opus sibi proposuerit declarat se quasi perterreri (1). Inde amara in eos cavillatio quicumque veterum philosophorum rationes nitantur antiquare (2) ; inde in Cartesio laudando parcus est, in reprehendendo etiamque, si Diis placet, deridendo multus ; nam sic ratiocinantem Cartesium : « Cogito, ergo sum, » nugari ait, Disputationem vero de Methodo saturam esse commentationum ad mores, ad rerum naturam, ad metaphysicam pertinentium qua nihil firmiter constituatur ; et proterve ad causæ suæ commodum torquet quod Cartesius dixerat hoc philosophando homines consequi ut de omni re probabiliter disserant et se indoctis præstent admirandos (3). Sed alias eum digna laude afficit, ut qui prope singulari ingenio inter recentiores exstiterit (4) ; et quum suspectum habet, non ut plerique audaciam modo in dubi-

dont se sert la religion pour s'expliquer dans ses décisions. » — *Réflexions sur la philosophie*, n° 24.

(1) « ..... L'ouvrage le plus solide que l'esprit humain puisse former, et sur le fond le plus frêle et le plus variable qui se puisse imaginer, qui est la pensée et la parole. » — « Epouvanté de la grandeur du génie qui a pu concevoir un dessein pareil à celui-là. » *Comparaison de Platon et d'Aristote*, édit. 1686, p. 336, 337, 338.

(2) Ibid., ch. VIII.

(3) *Réflexions sur la philosophie*, *réflexions sur la logique*, n° 8. — V. ibid., *Réflexions sur la logique*, n° 10 et passim.

(4) Ibid., *Réflexions sur la philosophie en général*, n° 18.

tando aversatur quam quidem in eo damnat, sed impensiori quæstionum naturalium studio diffidit. Nam in eos potissimum invehitur qui quod casu physicum aliquod experimentum feliciter gesserint vel aliquod geometricum schema explicuerint, philosophandi scientiam sibi arrogent, Platonemque et Aristotelem sibi assurgere jubeant, ignorantes sic nobilem esse philosophiam ut nemo e fumo fornacis aut e pulvere circinationis philosophus evadat (1). Quorum ut retundat fastus, monet in physica multa esse quæ opineris, pauca quæ scias, nedum *mechanicam istam laboriosamque*, ut ait, indagationem magni faciat (2), ratus Cœlicolas et ob alias causas beatos esse et quia, in inspiciendis Providentiæ rationibus occupati, jam *rerum naturalium scientiam prorsus se indignam existiment* (3). Etiam quum propter honestam æmulationem recentiores Gallos, Italos, Anglos, Batavos laudat physicos qui mundi faciem quasi converterint, tantum non queritur imminutam Dei majestatem, quia siderum quibus nihil constantius creatum esset, cursus minus constans videatur (4).

(1) *Comparaison de Platon et d'Aristote.* Préface.

(2) Ibid., ch. V : *Réflexions sur la philosophie*, 18e *réflexion sur la philosophie en général.*

(3) *De la vie des prédestinés*, ch. XI.

(4) « Ce n'est qu'en notre siècle ou peu auparavant qu'on a commencé à trouver des irrégularités dans le mouvement du ciel et des corps célestes, *c'est-à-dire en ce que Dieu a fait de plus régulier dans la nature.* Enfin il semble que, par cette vertueuse émulation qui s'est excitée depuis quelque temps entre les physiciens de France, d'Italie, d'Angleterre et de Hollande, le monde ait commencé à changer de face..... » *Réflexions sur la philosophie, réflexions sur la physique*, n° 12.

Laudemus tamen Rapinum quod, quanquam caperabat, eam scientiam necessariam esse dixerit (1) et accuratius diligentiusque proponendam in scholis, nedum magistri studiose inutilia doceant ut fidem faciant se necessaria non esse omissuros, quæ tamen omittant (2).

Impunitus quoque abeat si unumquodque litterarum genus iis regi præceptis existimavit, quæ qui violaverit, nihil nisi mera monstra meraque portenta sit locuturus. Nam si eum criminamur quod æquales suos docere instituerit et antiquorum vestigiis religiose insistere jusserit (3), plerosque ejusdem ætatis auctores veluti die dicta oportebit accusare.

Sed est ubi neque pietatem suam nec ætatis suæ morem Rapinus possit excusare. Sic enim eum antiquorum præcepta sequi judiciisque subscribere oportuit, ut quæ affirmassent saltem confirmaret argu-

(1) *Comparaison de Platon et d'Aristote.* Préface.

(2) « Il serait toutefois à souhaiter que cette partie de la philosophie fût traitée plus méthodiquement dans l'Ecole, et qu'on descendît davantage dans le détail des expériences et des observations les plus importantes de la nature. Mais il arrive souvent que les maîtres affectent d'enseigner des choses inutiles pour faire croire qu'ils n'oublient pas les nécessaires. » *Réfl. sur la philos.*; *réflexions sur la philos. en général*, n° 34.

(3) *Préface du recueil des Comparaisons*; *préface des Réflexions sur la poésie* et passim. — Ipse et in judicandis scriptorum ingeniis et in generibus definiendis, libentissime Aristotelem sequitur; ita enim verbi gratia ordinem Comparationis inter Ciceronem et Demosthenem instituit ut Stagyrita res in oratore considerandas discreverat; et in poeseos pastoralis descriptione quatuor Aristotelicas causas persequitur (De carmine pastorali). V. etiam : *Réflex. sur la poésie; réflex. sur les divers genres de poésie*, ch. 11, 12, 17.

mentis de suo sumptis. Verum professus se de scribendi genere Demosthenis dicturum esse, nihil aliud quam veterum criticorum opiniones exscribit. Non ita Fenelo : cui si Rapinum inique contuleris, tamen pro jure nostro criticum vituperabimus qui quod se facturum spopondit, antecessoribus præstandum permittit. — At enim de industria omni subtiliore disputatione abstinuit, qui nollet minutas pædagogorum grammaticorumque imitari disceptationes, ratus suam diligentiam ab isto tantum hominum genere desideratum iri (1). — O intempestivam superbiam ! Non tibi, Rapine, cum istis res erit, sed cum candido lectore, qui scire aveat quid tu, non quid ceteri censuerint. Tu vero, quandiu de homerico dicendi genere vel de peripatetica ratione recentiores et antiquas auctoritates percenses, calamum præ tædio non abjicis : quum judicis partes agendæ sunt, non scribæ, nauseas ! An, pudore pudorem vincente, confiteberis id quod verum est, te græcæ linguæ male peritum esse, et in multis græcorum scriptorum locis, hæsitantem atque titubantem, ductores undique apprehendere ? Menagio quidem si credimus, Tanaquillus Faber Homeri locos tibi suppeditavit, quos in Comparatione utriusque epicorum principis citavisti (2).

(1) « Ce n'a pas été mon dessein de satisfaire aux pédants ni aux grammairiens qui portent quelquefois les choses à des raffinements de critique tout à fait ridicules. Ce seront vraisemblablement les seuls qui trouveront que je n'ai pas assez éclairci la matière. » *Comparaison de Cicéron et de Démosthène*, edit. Amstel., 1686, p. 89.

(2) *Menagiana*, I, 206. — Rem in majus a Menagio amplificatam suspicor ; sed verissime ille negavit Rapinum magnopere eruditum fuisse,

Sed ne hoc agamus vehementius ; aliæ enim mendæ occurrunt in criticis Rapini libris, quas vel condonata græci sermonis imperitia haud absolvat. Nam qui scriptorem quemlibet per interpretes modo noverit, de stylo quidem illius tutius aliis quam sibi credet, sententias vero summamque operis nisi diligenter ipse examinat, judicium critici, non solum doctrinæ copia defecit. Rapini autem Comparatio Platonis Aristotelisque partem platonicæ rationis quæ pertinet ad mores levissime perstringit, nec quid in ea sit proprium clarissimi inventoris proponit. Quum Aristotelicam de physica rationem explicat, aut Cartesianas Meditationes, nudum indicem vel syllabum exhibet (1). Si quando regulæ illæ ab Aristotele ut arbitratur, sancitæ quomodo fuerint a recentioribus Italis acceptæ disputare instituit, sic Capellanum consulit ut ejus responsum fusius enuntiatum iisdem prope transcribat verbis (2). Hoc est quod jocose S[te] Beuve aiebat Rapinum non libertatem modo suam in judicando, sed ipsam judicandi facultatem abdicavisse (3). Idem vero qui unum unius scriptoris librum scrutari paulo altius nequit, tantum sæpe sibi sumit ut omnes omnium temporum historicos vel poetas paucis paginis expendat : nempe quatuor paginis fere cunctos epicos antiquos

aut tanta doctrinæ copia instructum ut Homerum cum Virgilio commode compararet.

(1) *Réflexions sur la philosophie ; réflexions sur la physique*, ch. V; ibid. *Réflexions sur la métaphysique*, ch. III.

(2) V. append. D.

(3) « ..... Une soumission, une démission absolue en fait d'idées. » *Port-Royal*, II, 552 et suiv.

ac recentes (1), quatuor paginis cunctos historicos cujuslibet notæ (2) complectitur; etiamve uno adjectivo excellentissimorum ingeniorum vim exprimit : inde bella hæc sententia : « Galilei est le plus agréable des [philosophes] modernes, Bacon le plus subtil, Gassendi le plus savant, Hobbes le plus rêveur, Bayle le plus curieux, Descartes le plus ingénieux, Van Helmont le plus naturaliste, mais trop attaché à Paracelse (3). »

Bene tamen actum esset cum illo, si argumenta quidem per transennam adspicere solitus esset, nihil vero inepti pronuntiavisset. Plurima autem ab eo stulte pronuntiata proferre in promptu est. Quod si cui inverecunde dictum videtur, Rapinum liceat durius appellare qui in eo fuerit ut Homerum contumeliosa misericordia afficeret, his verbis : « Le poète qui trouve cet endroit beau (locum nempe quo in Martem vulneratum Jupiter cavillatur), le pousse trop loin. Il badine là-dessus, et *il ferait pitié* sans le respect dont on est prévenu pour la grandeur de son génie (4). » Ergo ineptiæ exempla proferamus.

De Æneidis quidem laudibus prudentius quam de Iliadis existimavit; sed ne callidissimus quidem Virgilii obtrectator manifestius docuisset Virgilianum Ænean parum sibi constare quam iste inconsideratus laudator; sic enim Ænean Achilli præstare con-

(1) *Réflexions sur la poésie; réflex. sur les divers genres de poésie*, nos 15 et 16.

(2) *Réflexions sur l'histoire*, ch. XXVIII.

(3) *Réflexions sur la philosophie; 18e réflexion sur la philosophie en général.*

(4) *Comparaison d'Homère et de Virgile*, edit. Amstelod., 1686, p. 121.

firmat : « On ne trouve qu'Achille dans le héros d'Homère ; mais dans celui de Virgile, on trouve Menelaüs, Agamemnon, Ulysse, Ajax, Nestor, Diomède et Achille même (1). » Alias Virgilii artificium subtilissimum et ingeniosissimum extollit (*un artifice des plus délicats et des plus fins*), qui quum Didonem vera historia (*la vérité de l'histoire*) castissimam fuisse viduam (*cette veuve si vertueuse*) prodat, eam in adulterium ab Ænea pellectam inducit, quo Carthago veniat in Romanorum contemptum, fingat vero, ne quis incredulus oderit, pelliciendæ mulieri Deos interfuisse (2). Dum Aristoteli assentitur qui magis philosophicam esse poesim quam historiam asserit, quia hæc singulorum potius ingenia, illa universas vitiorum vel virtutum species in quibusque hominibus exsequatur, sententiam ejus fatue interpretatur : « L'histoire, » inquit, « ne propose la vertu qu'imparfaite comme elle l'est dans les particuliers, et la poésie la propose sans aucune imperfection et comme elle doit être en général (3), » tanquam aut Homerus ullum perfectæ virtutis exhibuerit specimen, aut Aristoteles non negaverit omni culpa scenicas personas carere debere. Nihil perfectius quam Busiridis et Helenæ laudationes ab Isocrate profectum esse contendit, et quanquam scriptorem in utraque fatetur lusisse, sapientes eas gravesque omni ex parte judicat (4). Inter Gallos priorum ætatum poetas neminem magis ab indole

(1) *Comparaison d'Homère et de Virgile*, edit. Amstelod., 1686, p. 110.
(2) Ibid., p. 146.
(3) *Réflexions sur la poésie; réflex. sur la poésie en particulier*, ch. IV.
(4) *Réflexions sur l'eloquence.*

valuisse putat quam Jesuitam Le Moine, in quo hoc tantum dolet quod vis ingenii nimium abripiat (1). Cur Augustus tranquille regnaverit hanc causam affert : « *Sa philosophie* le fit régner assez paisiblement dans une révolution aussi violente que fut alors celle de l'empire (2). » Qua oratione ferocem Marii invidiosamque jactantiam C. Sallustius felicissime expressit, eam sic Rapinus laudat : « C'est la morale la plus saine du monde sur la noblesse; tout y est raisonnable, et l'antiquité a peu de discours de cette force pour persuader la vertu (3). » Physicos suspectos habet : age, cur interdum suum timorem significat ridicule? Nam sua Galilæo reperta his verbis vitio vertit : « En se formant sur les anciens, *il a pris un air trop moderne ;* car il enrichit l'opinion de Copernic dans le Système du monde qu'il réforma; par l'usage du télescope il découvrit plusieurs nouvelles étoiles, il remarqua des taches dans le soleil, il trouva des montagnes et des vallées dans la lune (4). »

Etiam quum ei occurrunt sententiæ vero proximæ, præterquam quod sæpe ad satietatem exprimit, præsertim in commentario de Eloquentia et in piis libellis, sic illas profert ut insulsitati propiores videantur. Verum est quod hic asserit : « Le banquet qu'Alcinoüs fait à Ulysse est mieux servi, et tout y est plus galant que le banquet que Didon fait à

(1) *Réflexions sur la poésie; réfl. sur la poésie en particulier*, ch. XXXI.

(2) *Réflexions sur la philosophie; réflex. sur la philosophie en général*, ch. XI.

(3) *Réflexions sur l'histoire*, ch. XIX.

(4) *Réflexions sur la philosophie, réflex. sur la physique*, ch. IX.

Enée... Tous les banquets de l'Iliade sont servis de la même façon, sans aucune variété (1), » vel in alio genere : « Tite-Live avait fait une description du fleuve Pénée en deux ou trois mots au livre XLIVe, qui est admirablement placée pour égayer la tristesse de la marche de l'armée romaine contre Persée (2). » Tamen illa legendo, quis non subrideat? Quin etiam quomodo Midas ille quidquid manibus contigerat in aurum convertebat invitus, ita quæ Rapinus prudenter acuteque animadvertit, in meram ineptiam aliquando desinunt Tacitum reprehendit apud quem homines magis ad scelera proni quam sunt reipsa videantur : nihil pugno; sed haud scio an propterea vituperet quod quas inducit personas parum distinguat varietate et fastidiosam describat nequitiam (3). Poetas et fabularum commenticiarum scriptores, qui reges stultissima quadam in periculis inutiliter appetendis levitate commendatos volebant, merito improbat, et viros in magnis imperiis constitutos graviores plerumque fuisse existimat; sed orationem ita gubernat ut historicos uniuscujusque regis verba ad rationis normam dirigere jubeat, quo fiamus legendo consideratiores. Nam Paterculum laudat quod is Tiberium asserat paululum gloriæ unius militis morte pacisci noluisse (4). Vetat ne historicus prudenti viro teme-

(1) *Comparaison de Virgile et Homère*, edit. citat., p. 148.

(2) *Réflexions sur l'histoire*, ch. XVIII.

(3) *Réflexions sur l'histoire*, ch. VII.

(4) « Paterculus donne à Tibère des sentiments plus sages, en disant que ce capitaine n'aurait pas voulu perdre un soldat pour un peu de gloire. » Ibid., ch. XXV.

rariam fortitudinem affingat. Pulchre : sed significat non sibi displicere si cui temerario ille utilem exemplo sapientiam affinxerit, siquidem hoc statuit de illa prudentia ad quam reges debent omnia referre : « *Ce sont là les sentiments qui doivent régner dans l'histoire*, pour donner une leçon de clémence aux princes et une règle de raison et de bon sens à tous les peuples (1). »

Denique ignoscemus si in historiæ præceptis explicandis, de stylo potissimum ac figuris disserit et fictas, modo sint verisimiles, orationes recipit (2); sed quid absurdius quam Cæsari accuratam rerum bellicarum descriptionem exprobare : « César, » inquit, « décrit tous les mouvements d'un combat dans un détail qui en rend le récit sec, embarrassé et même ennuyeux... Les machines de guerre de César sont décrites dans ses Commentaires dans un détail de circonstances trop grand en une matière aussi petite et aussi mécanique qu'est celle-là ; il semble que ce capitaine, dont la réputation dans la science de la guerre est établie, veut encore s'établir dans la réputation d'un excellent ingénieur (3). »

Ceterum corrumpenda perverso rhetoricæ et virtutis studio historia docet Rapinum summam ipsam cujusque generis haud semper intelligendo assecutum esse. Quam ipse potissimum artem exercuerat, poesim dico, ejus utique vim naturamque ignorat. Ita enim poemata expendi oportere censet ut ver-

(1) Ibid.
(2) V. passim, ibid.
(3) Ibid., ch. XVIII.

suum magnificentiam, impetum, varietatem, sublimitatem orationis, excellentiam in describendis rebus atque in effingendis personis, ipsam argumenti granditatem obliviscaris : qui in his virtutibus laudandis se contineant, Grammaticorum more facere, qui primam tantum operis frontem intueantur; contra, tanquam judex perorata causa patronorum præstigias removeat et luculentas amplificationes in meram probationum collationem redigat, sic oportere nudam poematum materiam examinare (1). Prorsus dissentit a Molerio qui prohibet lectorem tangenti præcordia scriptori repugnare. Putes illum non poemata legisse de quibus disputat, sed diligentem frigidamque epitomem. Inde multæ animadversiones quæ constare videntur si summarium solum poematis recordaris, labant autem si ipsa poetæ verba reminisceris. Nam quia commilitonum salutem injuriæ ulciscendæ Achilles posthabet, Æneas se suis Diis, suæ genti totum addicit, Rapinus concludit Æneidem ad lectorum delectationem quam Iliada aptiorem esse (2) : nescit in poematibus non tantum qualis sit principis personæ causa considerari sed qualis sit illa ipsa persona. Ludos Virgilianos coram Acesta probat quod nec maturius æquo nec serius Virgilius e proposito egrediatur; ludos Homericos in honorem Patrocli damnat, quod tum Homerus moretur quum ad finem properare oporteat : « C'est à peu près comme si un voyageur fort pressé qui revient des

(1) Locum paulo infra proferemus in quo Rapinus consilium suum aperit et suo more sagacitatem conjungit cum ineptia.

(2) *Comparat. Virg. et Hom.*, edit. citat., p. 102, 103.

Indes à Paris, après avoir été deux ans en son voyage, s'amusait un mois entier à Dieppe pour jouer seulement au trictrac ou à voir la comédie; cela ne serait nullement judicieux (1). » Facete quidem; verum quum ad carmen XXIII Iliados pervenimus, homericas personas diligere consuevimus, placetque ideo omnis oblata occasio eas cognoscendi; Virgilianæ personæ multo minus mentes nostras detinent; itaque Siculorum ludorum descriptio, loco, fateor, perquam opportuno collocata, minus allicit. Quia frequentius apud Homerum quam apud Virgilium Dii intersunt mortalibus, Rapinus credit apud illum minus quam apud hunc homines ultro agere : imo vero si versus ipsos utriusque repetimus, in Homericis personis Dii præsentem vim animorum fovent, in Virgilianis sæpe absentem supplent.

Quomodo stultitia in mentem Rapini irrepat et etiam graves inficiat sententias docuimus; nunc quam multa acutissime et prudentissime idem ille homo simplicissimus viderit, ostendemus.

(1) *Comparaison de Virg. et d'Homère*, édit. cit., p. 116.

CAPUT NONUM.

RURSUM QUAM SAGACITER VEL ÆQUALIUM ERRORES QUOSDAM ARGUAT, VEL IPSIUS FENELONIS ANIMADVERSIONES PRÆOCCUPET.

S[te] Beuve Rapinum sic compellat : « Le neuf en tout ou le véritable antique vous étonne ; vous ne voulez pas plus de Descartes que de saint Augustin ; c'est trop fort pour vous (1). » Attamen, quanquam multa perperam ab eo in Homero fuisse notata monuimus, pauci tunc sagacius discreverunt veteris poetæ laudes. Omnes quidem antiquorum defensores Homerum pro virili parte tuebantur ; sed quotusquisque ex illis contendisset eum multis partibus Virgilio præstare? Rapinus vero, licet multo maluisset Æneida quam Iliada vel Odysseam composuisse, profitebatur et sagaciter et fortiter se potius optaturum fuisse ut Homerus esset quam ut Virgilius (2). Quam Homeri præstantiam confirmabat rationibus aptissimis : « Homère a un plan bien plus vaste et de plus nobles manières que Virgile, *une*

(1) *Hist. de Port-Royal*, II, 252.
(2) *Compar. de Virg. et d'Hom.*, édit. cit., p. 160.

plus grande étendue de caractères, il a un air plus grand et *je ne sais quoi de plus sublime ;* il peint beaucoup mieux les choses... *Son imagination est plus riche*; il a un *esprit plus universel*; il est de toutes les professions... Il a plus de variété dans l'ordonnance de la fable; il a plus de cette impétuosité qui fait l'élévation du génie ; son expression est plus forte, son naturel est plus heureux ; il est poète par tempérament. Ses vers sont plus pompeux et plus magnifiques... ; il est même plus naturel parce que toute son étude ne va qu'à cacher son art, et il ne peint rien que d'après nature. » Perincommode hoc subjungit quod supra reprehendimus : « Mais après tout ce ne serait juger d'Homère et de Virgile que par leur superficie comme font les grammairiens que d'en juger par là, puisqu'il y a dans leurs ouvrages des choses plus essentielles à examiner. » Hæ res majoris momenti sunt materia, forma, finis poematis epici. Sed alias quoque Homeri præstantiam prudenter laudavit (1), etiam in iis quæ nasutis ejus æqualibus sordebant : « La peur qu'Astyanax a de son père armé fait un effet où la nature est bien peinte (2) ; » quæ apud Eumæum comminiscitur Ulysses, *les contes faits par Ulysse au bonhomme Eumée*, quæ molitur ut potentiam suam Ithacæ restituat, admiratur Rapinus, tanquam ingenue juxta graviterque excogitata (*naïfs et nobles tout ensemble*, p. 142, *Compar. Hom. et Virg.*, edit. cit.).

(1) Ibid., p. 140, 142.
(2) Ibid., p. 140.

Brevis comparatio quam inter Pindarum et Horatium instituit non ex altissimo quidem ingenio proficiscitur, sed idoneis verbis vim thebani poetæ exprimit (1). Significavit Demosthenem Cicerone inferiorem sibi videri, illiusque jejunitatem, ut ait, et asperitatem carpsit (2) : Ciceronis vero ingenitas dotes et abundantem doctrinæ copiam acute perspexit, unde ars exsistat quamlibet materiam venuste tractandi (3) ; et si quis reputet alios quidem oratores civilis scientiæ peritiores, vel in argumentando adstrictiores nervosioresque in dicendo fuisse, neminem vero pari excellentia simul in privatorum causis, in concionibus, in rhetoricis philosophicisque disputationibus, denique (hoc enim genus non est prætermittendum) in epistolis fuisse versatum, minime vulgarem hanc, etiam maxime propriam laudem Ciceroni a Rapino datam existimabit : « Jamais personne n'a eu le talent de la parole, en aucune langue que ce soit, dans un plus haut degré (4) ; » idem enim valet ac si diceret in omni argumento Ciceronem sæpe eloquentissimum fuisse, semper disertissimum.

In theoreticis Rapini libris, multos in quibus tunc homines impliciti erant, errores laudatos deprehendis, multos vero damnatos. Vix etiam credas quoties ille ineptiarum sæpe pronuntiator luculentissimo Dialogorum de eloquentia et Epistolæ ad

(1) Odarum dedicatio ad Nicol. Lamonium a Baville.

(2) *Comp. de Cicéron et de Démosthène*, p. 80.

(3) Ibid., p. 59, 60.

(4) Ibid., p. 62.

Academiam scriptori præire verba videatur. Profecto Fenelonis festivam orationem sagacitatemque in Rapino desideres ; sed et operum partitio quæ Fenelo Academiæ proponit refert institutas a Rapino disputationes (1), et in singulis multa inter utrumque conveniunt.

In commentario de Historia, Rapinus vetat eosdem mores variis ejusdem gentis ætatibus affingi et Ludovici XI æquales cum Ludovici XIV civibus confundi (2). Eam sententiam copiose a Fenelone propositam esse nemo ignorat (3). Taciti morositatem a Rapino notatam, Fenelo quoque, prudentius quidem, notavit (4).

In commentario de Eloquentia non unam aut alteram sententiam cum Fenelone communem reperire est, sed, si redundantiam orationis et aliquam puerilitatem oblivisceris, id genus oratorum plerumque noster exagitat quorum auctoritatem Bossuetus Burdalœusque nondum labefactaverant, quanquam admirabilia summæ artis ac pietatis exempla ediderant, et in quibus coarguendis postea Fenelo operam non perditum iri putavit (5). Nugatur quidem Rapinus

(1) Suadet enim Fenelo ut Academici præcipuorum generum disciplinam conscribant, multis exemplis additis ; quod ad historiam spectat, addit fieri posse ut de omnibus interea historicis judicetur (*Lettre sur les occupations de l'Acad.*, édit. Despois, p. 82).

(2) Rapinus quidem, ut sæpe solet, mox sententiam suam in perversum mutat, hoc addito propriam fuisse æqualium Ludovici undecimi superstitionem (*Réflex. sur l'histoire*, ch. XXVI).

(3) *Lettre sur les occupations de l'Acad.*, édit. Despois, p. 79-82.

(4) Ibid., p. 83, 84.

(5) Sacros oratores non statim a Bossueto fuisse expurgatos docet vir prudentissimus, dom. Jacquinet (*Les prédicateurs du ~~seizième~~ siècle avant Bossuet*, p. 366). 17c

quum negat sublatam e civitate libertatem eloquentiæ nocuisse, additque hanc ubique posse regnare si modo ea exhibeat quæ audientiam faciant (1) ; et, dum vitia æqualium in dicendo notat, magis nonnunquam antiquorum rhetorum querelas renovat quam in tempus suum intuetur (2); nimis benigne de lusiunculis oratoriis tenuibusque argumentis judicat (3); etiam crediderim ejus meminisse Fenelonem dum studiose Isocratis famam imminuit. Sed prudentissime veram eloquentiam Rapinus distinxit ab ista facundia pompæ accommodata quæ auditores oblectat, non permovet (4); recte intellexit eum felicius tractare genus sublime qui magnifice sentiat quam qui conetur magnifice eloqui (5), et magis in promptu fuisse antiquis oratoribus quam recentioribus ad summæ artis laudem pervenire, quia illi in ea consequenda totum vitæ tempus collocarent, hi juventam modo institutioni oratoriæ assignent, postea

(1) *Réflex. sur l'éloquence (réflex. sur l'éloquence en général*, n° 1).

(2) Nam Ciceronis æquales, non Rapini, admoneri oportuit stylum esse *optimum dicendi effectorem atque magistrum*. V. Rap., *Réflex. sur l'éloq. en général.*, n° 6, ibid.

(3) V. passim quæ de genere demonstrativo ait ; ne constat quidem satis sibi in ea re.

(4) *Réfl. sur l'éloquence (réflex. sur l'éloquence en général*, n° 23).

(5) « On ne peut réussir dans le style élevé, dans le genre sublime, qu'on ne soit entièrement persuadé que ce style se forme des choses qu'on a à dire, des grandes images qu'on s'en fait et de l'élévation du génie, plus que de celle de l'expression... Le secret est de s'étudier à penser les choses dignement et à ne point se servir d'autres paroles que de celles qui sont capables de répondre à la dignité du sujet dont on parle : un grand sujet fournit toujours de grands sentiments, et les grands sentiments attirent toujours de grandes expressions et des paroles élevées. » Ibid., *Réflex. sur l'éloq. en général*, n° 15.

suæ quisque indoli confidant (1). Causidicorum qui tunc florebant vitia facete perstrinxit; quemdam ex iis ait plus spei orandis causis in Senecæ commemoratione quam in potentibus argumentis posuisse; alium ne actio elanguesceret, adeo efferri solitum esse dicendo, ut ipse sibi vocis suæ tumultu obstreperet (2).

Sed laudandum est imprimis quodcumque de sacra eloquentia præcipit : hac enim in parte saluberrimum judicium sanctissimamque pietatem admireris hominis ambitiosos levissimorum sacerdotum cincinnos salibus ingenuis vel indignatione gravi insectantis : « Ne voit-on pas tous les jours, » inquit, « de jeunes prédicateurs sans vertu et sans science monter en chaire comme monte un acteur sur le théâtre? On y invite les amis, on fait un cercle de parenté et une grande assemblée d'honnêtes gens pour parer l'auditoire et pour encourager le jeune déclamateur. » Antistitem quemdam deridet qui in sacram cathedram non ante conscendisset quam ita medicus præscripsisset, quo molesta corpulentia aliqua ex parte deponeretur; qui istis piaculis quæ nisi in oculis essent viderentur incredibilia cupiat abstinere, eum jubet in secessu officia ministerii venerandi meditando præsumere (3): Ea munera dignissimis verbis describit; censetque ut sacri oratores in animum sibi inducant se Dei

(1) « Les jeunes gens de ce temps-ci croient qu'il suffit de lire un roman ou une comédie pour acquérir toute l'éloquence qui est nécessaire au barreau. » *Réflex. sur l'éloq.* (*réflex. sur l'éloq. du barreau*, n° 1).

(2) Ibid. (*réflex. sur l'éloq. du barreau*, 11, 12).

(3) *Réflex. sur l'éloq.* (*réflex. sur l'éloq. de la chaire*, n° 1).

verbis populos adhortari (1) : « On frustre la faim et la soif des fidèles par les fleurs d'une vaine éloquence dont on amuse leur curiosité (2). » Illos etiam qui tenuem dicendi facultatem afferant, utilem operam navare putat (3), sed vetat, quod Fenelo mox vetabit, animos commovere vano verborum fragore, *à force de faire du bruit*; narrat enim quemdam in sacris concionibus sic corpus suum jactare solitum fuisse ut « *on le défendait aux femmes grosses parce que ses mouvements avaient l'air de convulsions* (4). » Unde tota sacri oratoris eloquentia debeat profluere, Patres Ecclesiæ et Scripturam potissimum laudat; nam profana antiquorum sublimitas languet ac repit, *est faible et rampant*, in cathedra Christi; qui Scripturam habent exploratam (*ceux qui ont trouvé le secret d'en pénétrer la profondeur*) soli pro dignitate Ecclesiæ assequuntur magnificentiam eloquendi (5). Ceterum in quovis litterarum genere Scriptura exhibet præclara exempla (6). Inde etiam

(1) Ibid. (*réflex. sur l'éloq. de la chaire*, n° 2).

(2) Ibid. (*réfl. sur l'éloq. de la chaire*, n° 3).

(3) Fenelonem Despois merito reprehendit (*Dial. sur l'éloq.*, p. 194, note 2) quod eos qui ingeniis minus promptis sint valere jubeat.

(4) *Réflex. sur l'éloq.; (réfl. sur l'éloq. de la chaire*, n°s 7 et 20). Festive Fenelo : « Certains prédicateurs zélés..... s'imaginent qu'il n'y a qu'à crier et qu'à parler souvent du diable et de l'enfer. » *Lett. à l'Acad.*, p. 234.

(5) « ..... Ces magnifiques expressions dont le Saint-Esprit est l'auteur..... ces éclatantes images de cette élévation qui fait le caractère essentiel de l'éloquence de la chaire. »

(6) Cf. Fenelonem, *Dialog. sur l'éloq.*, edit. cit., p. 219 et sqq., 228-238. — Rapinus ac Fenelo fatentur Patrum orationem sæpe mendosam vel affectatam esse (Rap., *Reflex. sur l'éloq.* : 11e *Réfl. sur l'éloq. de la chaire*; Fén., *Dial. sur l'éloq.*, p. 246-253).

jubet excerpi morum disciplinam quæ audientibus proponatur; quælibet enim alia ad meram philosophiam et ad paganam probitatem pertinent : « On s'attache trop, » dicet Fenelo, « aux peintures morales et on n'explique pas assez les principes de la doctrine évangélique (1). » Fenelo censebit jus in Ecclesiis concionandi solis plerumque presbyteris permittendum esse; nam qui nullo regendorum hominum usu artem dicendi tantum coluerint et huc illuc volitantes nullam parochiarum quas vicissim adhortationibus adeant, experientiam habeant, accommodatas propriæ cujusque necessitati monitiones edere nequire (2) : Rapinus, quanquam dum Jesuitis consulit qui in plurimis ecclesiis concionabantur τοὺς ἱεράρχεις (3) solet parvi facere, idem quod Fenelo vitium notat : « On prêche à des gens de bien comme à des scélérats ; on parle aux gens de la cour comme à des gens de bien... Chacun sait l'histoire de ce prédicateur qui prêchait toutes les espèces de péchés contre le sixième commandement à des religieuses qui étaient fort sages (4). » Fenelo catechismis sæpius quam orationibus instituendos christianos

(1) *Dial. sur l'éloq.*, edit. cit., p. 232.

(2) Ibid., p, 236, 237.

(3) Ita tum vocabantur qui legitimos cujusque parochiæ presbyteros, non advenas sacerdotes aut Religiosos adeundos censebant. His Jansenistæ magnopere favebant; antea vero Lutetiæ parochiæ vel florentissimæ Cenomannensibus Picardisve aut Normannis deferebantur, *comme des postes peu dignes des gens de qualité* (Mémoires de Rap., édit. Aub., I, 484, 485).

(4) *Réfl. sur l'éloq.* (16ᵉ *réflex. sur l'éloq. de la chaire*). — De hoc oratore festivissime ac liberrime marchesina a Sablé ad abbatissam Fontis Ebraldini.

censebat ; illud aliqua ex parte Rapinus prospexerat quum hæc animadverteret : « On porte une morale bourgeoise au village, et l'on fait des sermons où il ne faudrait que des cathéchismes tout simples et des instructions toutes pures (1). » Indignatur vero quod quemdam audierit de gravissimis articulis ex cathedra sic disserentem, ut mulierculæ cœlum suspicientes subinde exclamarent : « Quam belle, quam suaviter evangelizat ! » « Exarsi, inquit Rapinus, iracundia (2). » Alium ludibrio habet, qui disputaverit illos dolere qui gauderent, illos gaudere qui dolerent (3). Quin præter ea quæ pietatem vel sanum judicium offendunt, alia vituperat, quæ solus artis usus deprehendere videtur : suadet enim ne orator copiosiorem materiam colligat; alioquin incitatiorem dicentis cursum plebem haud assequi; sed versandam esse unam eamdemque rem multis modis, donec animis admoveatur (4). Hæc est quasi summa totius libelli : « Après tout, la meilleure de toutes les manières de prêcher est celle qui est la plus capable d'imprimer au peuple du respect et du sentiment pour la parole de Dieu (5). »

Reputanti mihi quam sapienter ea sint a Rapino animadversa, quam sæpe ea præceperit quæ posthac Fenelo confirmavit, videtur ille emendatoribus christianæ eloquentiæ annumerandus. Bossuetus quidem

(1) Fénel., *Dial. sur l'éloq.*, p. 233, 243, 244; Rap., *Réflex. sur l'éloq.* (16e *réfl. sur l'éloq. de la chaire*).

(2) Rap., ibid., 23e *réfl. sur l'éloq. de la chaire.*

(3) Ibid., 27e *réflex. sur l'éloq. de la chaire.*

(4) Ibid., 33e *réflex. sur l'éloq. de la chaire.*

(5) *Réfl. sur l'éloq.* (33e *réfl. sur l'éloq. de la chaire*).

perfectum exemplar jam protulerat, ideoque vel simplicior vel sibi nimis placens Rapinus judicabitur, qui sic disputet tanquam nemo adhuc ea præstiterit quæ ipse postulet (1). Sed tum quoque nec tritum nec inutile fuit veram eloquentiæ formam describere quum falsam plurimi populo plaudente affectarent.

Quod ad poesim spectat, multa Rapinus callidissime dispexit. Quanquam in collegio Claromontano et in elegantioribus circulis multos amicos habebat, qui condendis versiculis gauderent ac gloriarentur, ausus est eodem tempore quo Bolæus Artem suam absolvebat, non mediocres modo poetas (2), sed tenuiora etiam poeseos genera exagitare. Bolæus vituperationem subiit quod nimis accurate de poematiis disseruisset : rectius Rapinus : « Un sonnet, une ode, une élégie, un rondeau et tous ces petits vers dont on fait sottement tant de bruit, ne sont

(1) Ait se noluisse æqualium mentionem facere : ut libet! Sed postquam Bossuetus ac Burdalæus in lucem prodierant, intempestive Claudium a Lingendes et Castilionem imitandos proponit; 36[e] *réfl. sur l'éloq. de la chaire.* — Attamen interdum fatetur aliquid in melius jam mutatum esse (21[e] et 27[e] *réfl. sur l'éloq. de la chaire*).

(2) His verbis Moleriani Μισανθρώπου sententiam lepide amplificat : « Qu'on se mette bien dans l'esprit qu'il ne faut point se mêler de faire des vers qu'on n'en fasse excellemment !..... Qu'on sache aussi que la poésie ne peut faire honneur aux gens de petit sens ; que la passion de faire des vers est une maladie dangereuse quand elle vient à un esprit médiocre ; qu'on est capable de toutes les extravagances imaginables quand on en est pris et qu'on manque de génie ; qu'on doit avoir de la soumission et de la docilité pour ne pas tomber dans ce malheur ; que de la manière dont on vit à présent, on trouve partout des gens qui, par charité ou par mauvaise humeur, sont toujours prêts à donner des avis. » (*Réfl. sur la poésie : 40[e] réfl. sur la poésie en général*). — At enim mediocris poeta fuit ; fateor, laudo tamen quod alios esse prohibere voluit.

d'ordinaire que des productions toutes pures de l'imagination. Un esprit superficiel, *avec un peu d'usage du monde*, est capable de ces ouvrages (1). » Quas tunc vocabant Odas inter minora poesos genera referre licebat; rursus non quivis eo tempore animadvertisset politos homines elegantiam quamdam ad scribendum afferre poeticæ orationi non sufficientem. Etiam quo pertineret ista scriptorum in tenuissimis argumentis oblectatio, acute perspexit : « Nous nous occupons de petits sujets, » inquit, « ce qui est cause que nous sommes si froids dans les grands (2). » Aliud vitium notat quod Bolæum effugerat : nempe nimiam puræ mundæque dictionis curam qua vis infringebatur; Carolum Pererium, qui æquales laudaverat quod nunquam antea sermonis elegantia fuisset celebratior, sic admonet :

Dum sic quærimus anxie
Linguæ munditiem omnibus
Sparsam denique gratiis,
Et dum difficiles nimis
Et tersi et graciles sumus :
Nervos, crede mihi, suos
Verbis, ah! male seduli
Justa et pondera demimus;
Sic et destituit sua
Sermonem prope dignitas.
Si nescis, en Pereri,
Circumspecta sagacitas
Scribendi et nimis anxia
Quæ nunc sedulitas viget
Prorsus sic animorum egens
Nos jam carmine patrio

(1) Ibid. (3e *réfl. sur la poésie en général*).
(2) *Réfl. sur la poésie* (26e *réfl. sur la poésie en génér.*).

Tractandæ fidibus lyræ
Prorsus reddidit impares (1).

Sed quoniam sæpe evenit ut sapientia Rapini in simplicitatem desinat, quod carmine patrio Gallos consequi negat, se Pereriumque credit latino carmine consecuturos (2). Debet ludibrium ille centonum concinnator qui veterum poetarum æstum in se receptum esse putat, et ut Horatianum dictum usurpem, ardentem frigidus Ætnam consilit. Ea tamen ætate salubritatis elegantiæque in dicendo curiosissima, nemo, ut opinor, ante Rapinum æquam quidlibet audendi potestatem poetis vindicaverat. Eamdem licentiam in suo de Poesi Commentario postulat (3); quod adeo menti ejus insitum est ut Theophilum a Viau quem tum prudentissimus quisque vapulare jubebat, uberi fuisse ingenio contenderit, Malherbum vero sermoni propiora sæpe scribere (4).

Quemadmodum dolore legentes oporteat affici peritissime monet : « Rien ne rend la passion si ridicule que le contre-temps. Mais ce n'est pas assez d'émouvoir une passion par un incident notable : il faut encore avoir l'art de la conduire jusqu'où elle doit aller. Une passion imparfaite et avortée peut ébranler l'esprit de l'auditoire ; cela ne suffit pas, il faut l'enlever (5). » « Le naturel tout seul ne suffit

(1) *Ode* XVII.

(2) V. ejusdem Odæ finem.

(3) *Réfl. sur la poésie* (31° *réfl. sur la poésie en gén.*; 30° *réfl. sur la poésie en particulier*).

(4) « Il y a bien de la prose dans ses vers (in versibus Malherbi). (30° *réflex. sur la poésie en particulier dans les Réflex. sur la poésie.*)

(5) *Réflex. sur la Poésie* (36° *réflexion sur la poésie en général*).

que dans les petites pièces; dans les grandes il faut en plus de l'art (1). » Intelligit quoque qua voluptate actio scenica spectatores permulceat « une espèce de charme qui jette l'âme dans une douce et profonde rêverie et qui la fait entrer dans tous les intérêts qui jouent sur le théâtre (2). » Mollibus tamen affectibus frangi spectatorum animos vetat : « Peut-être que le génie de notre nation ne pourrait pas aisément soutenir une action sur le théâtre, par le seul motif de la terreur et de la pitié... C'est dégrader la tragédie de cet air de majesté qui lui est propre que d'y mêler l'amour, qui est d'un caractère toujours badin... Ce qui n'est pas grave et sérieux sur le théâtre, quoiqu'il plaise d'abord, est sujet toutefois à devenir fade dans la suite (3). » Forsan etiam Racinii fabulas minus quam par erat probavit; nam ante aliquot annos spectatores exiisse e theatro cogitabundos mæstosque, simul magna perfusos voluptate dicit, nunc vero iisdem tranquillis animis quibus intravissent, exire (4). Errat quidem quum Molerio vitia ridiculaque hominum in majus amplificata objicit (5); sed Fenelo in eumdem errorem lapsus eum excusat (6). Rectius ad Molerium

(1) Ibid., 35e *réfl. sur la poésie en général.*

(2) Ibid., 18e *réfl. sur la poésie en particulier.*

(3) Ibid., 20e *réfl. sur la poésie en particulier.*

(4) « Quand Mondory jouait la *Marianne* de Tristan au Marais, le peuple ne sortait jamais que rêveur et pensif, faisant réflexion à ce qu'il venait de voir, et pénétré en même temps d'un grand plaisir. » — *Réflex. sur la poésie*, 19e *réfl. sur la poésie en particul.* — « On sort à présent du théâtre aussi peu ému qu'on y est entré. » 21e *réflex.*, ibid.

(5) 25e *réflex.*., ibid.

(6) *Lettre à l'Académie*, edit. Despois, p. 71.

alludens, Rapinus censuit in argumenti exitu comœdias nostras claudicare (1). Hoc etiam notandum est quod homo urbanissimus et frequens patriciorum hospes, plebis sermonem, proverbia, jocularia haud prorsus a scena migrare jubet, si modo sponte occurrant, et sales habeant (2). Ceterum acutissime vidit vim comicam Molerii, si quis attendat, fuisse ingenuam ac liberalem, quoniam non ut æquales (addam ego, ut et plerique antiquorum) per famulorum scurrilitatem sed per vitia aulicorum et cujusque honesto loco nati, risus concitaverit (3). Statuit denique Molerium mores ad vivum exprimere eoque vel imperitissimos ingenii sui excellentia percellere : « Les beautés des portraits qu'il fait, » inquit, « sont si naturelles, qu'elles se font sentir aux personnes les plus grossières... Son Misanthrope est, à mon sens, le caractère le plus achevé et l'ensemble le plus singulier (id est : *original*) qui ait jamais paru sur le théâtre (4). »

Quid quod eo tempore natus quo, præter antiquos Græcos Latinosque, Galli ceterarum gentium despiciebant litteras vel plane ignorabant, Baconi Sha-

(1) « Le faible le plus ordinaire de nos comédies est le dénouement. » *Réflex. sur la poésie*, 25e *réfl. sur la poésie en particul.*

(2) « Les termes bas et vulgaires ne doivent pas être permis sur le théâtre *s'ils ne sont soutenus de quelque sorte d'esprit.* Les proverbes et les bons mots du peuple n'y doivent pas être soufferts *s'ils n'ont quelque sens plaisant, et s'ils ne sont naturels.* » Ibid., 25e *réfl.*

(3) « Les auteurs comiques du même temps n'avaient représenté que la vie commune et n'avaient eu pour plaisants que des valets : Molière a eu dans son théâtre pour plaisants des marquis, et y a représenté tout Paris et la cour. » Ibid., 27e *réflex.*

(4) Ibid., 27e *réfl.*

kespeariique cives parcioribus sane nimisque exceptionibus correctis, idoneis tamen laudibus affecit? Sic enim de Anglis philosophis : « Les Anglais, *par cette profondeur de génie qui est ordinaire à leur nation,* aimèrent les méthodes profondes, abstruses, recherchées et, par un attachement opiniâtre au travail, s'appliquèrent à observer la nature encore plus que les autres nations (1). » Et, quod diligentius etiam est observatum, Anglos *tragicum spirare* asserit : « Les peuples qui paraissent avoir eu plus de génie pour la tragédie, de tous nos voisins, sont les Anglais, et par l'esprit de leur nation qui se plaît aux choses atroces et par le caractère de leur langue qui est propre aux grandes expressions (2). » Unus tum, ut opinor, inter Gallos paulo expressius de Anglorum litteris judicium tulit, nempe St-Evremond (3), at quum hic, qui in Britannia jam pridem habitabat Shakespearium ne appellaverit quidem, nostri diligentiam haud culpandam arbitror.

(1) *Réflex. sur la philosophie*, 18e *réfl. sur la philos. en génér.*

(2) *Réflex. sur la poésie, réflex. sur la poés. en partic.*, n° 23.

(3) Saint-Evremond, *Sur les tragédies* (*Œuvres*, edit., 1740, vol. III, p. 223, 224, 225); *De la comédie anglaise* (ibid., 239 et sqq.).

CAPUT DECIMUM.

QUOMODO RAPINI LIBRI OLIM EXCEPTI SINT. — QUANTA IMPUNITATE INTER SE JESUITÆ TUNC DIGLADIARENTUR. — QUIBUS RAPINI MERITIS EJUS LEVITATEM ÆQUALES CONDONAVERINT.

Quum igitur mirum in modum apud Rapinum simplicitas et sagacitas inter se fuerint conjunctæ, quærere oportet quo in numero ab æqualibus ejus libri positi fuerint.

Rapini autem opera in plurimorum manus venere, non in Gallia modo sed in omnibus prope Europæ partibus : cujus rei documento sunt multa ex ejus operibus in latinam, hispanicam, germanicam, anglicam, italicam linguam conversa (1). De iis judicia multorum exstant : in Rapini laudes consentiunt catholicus Diarii-Doctorum scriptor (2) et Hugonotæ Basnagius (3) et scriptor Actorum Erudito-

(1) *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu*, verbo *Rapin.*, edit. ultima.

(2) *Journal des savants*, 9 fév. 1665, 22 juin 1671, 20 janv. 1676, 22 juin 1676, 30 mars 1682; ceterum ibi brevissime doctrina elegantiaque Rapini laudantur.

(3) Basnagius Buhursiano Rapini præconio supra memorato, quod

rum Lipsiæ (1). Item Bayle in suo *Dictionnario*.

Evenit tamen ut invidia et odium quæ magnos viros potius insectari solent, caducam Rapini famam oppetierint. Nam exstiterunt qui eum gloria, quantulacumque nunc merito videtur, quam illi *Horti* sui comparaverant defraudare studuerunt : hoc enim poema a veteri quodam Longobardo codice descriptum esse asserebant, quem Neapolitanus quidam princeps nonnullis ostendisset, et bibliothecarius quidam a Rapino fideliter expressum affirmaret : sed nullo nomine, nulla certa auctoritate suam asseverationem tuebantur (2). Alii Rapinum non furti reum, sed pusilli ingenii agebant ; inter quos, ait Bayle, Jesuitæ præsertim Commiri, Ruæi, Cossarti versus Rapini versibus anteponebant. Duo utique Jesuitæ, Franciscus Vavassor, et Ludovicus Maimbourg de illius in litteris fama detrahere conati sunt. Ille quum quatuor epigrammatum libros conscripsisset, ægre tulerat hoc suum poeseos genus a Rapino in Commentario de Poesi minimi factum fuisse. Quare conatus est levitatem doctrinæ inconstantiamque judicii in eo coarguere ; sed dum ultioni consulit, in eam asperitatem atque arrogantiam prolapsus est quæ pædagogum potius quam criticum referret, quanquam ceterum doctior graviorque erat (3). Frus-

attinet ad rem litterariam assentitur. *Histoire des ouvrages des savants*, nov. 1687, art. 17.

(1) 1 dec. 1684. Hic contendit Macrobium, J. Cæsarem Scaligerum, Fulvium Ursinum de Virgilio et Homero strictim disseruisse, Rapinum vero ait exquisitam doctrinam in suam utriusque comparationem attulisse, ita ut liceat *ex hoc veluti vestigio Herculem totum cognoscere*.

(2) V. Moreri, *Dictionn.*, v° *Rapin*.

(3) De Vavassore rursus in appendice E.

tra enim Rapinus aliquot errores in posteriore editione jam correxerat : Vavassor amare derisit quod participium ἀπιών et homo Ἀπίων confusi erant, oblitus se olim Κιθάρην (Cythaream) et κιθάραν (citharam) commiscuisse (1). Inter multa jure animadversa calumniatus est quod Rapinus spatium inter Ægisthi scelus ac pœnam male supputavisset (2). Quia Rapinus contenderat in Gallis judicium non utique excellere, sic refutat Vavassor : « Parlez pour vous, je vous prie, monsieur l'anonyme (3), et dites tant qu'il vous plaira que votre principal talent n'est pas le jugement. A vous permis de tenir ce langage ; et peut-être que vos lecteurs ne vous désavoueront pas, s'ils daignent considérer votre écrit et s'ils veulent vous faire justice (4). » Cavillatur in Rapini ambages (*galimatias*), reprehenditque quod viventibus poetis parcat præ timore, mortuos lacessat (5). Est etiam ubi his verbis redarguit : « Cela n'est pas vrai : souffrez, monsieur, que je vous le dise (6). »

Piget confiteri patientiam urbanitatemque Rapini in istis conviciis defecisse : iisdem armis quibus petebatur propulsandam injuriam credidit. Nam et objecta diluere conatus fuit, et pungentem sic repunxit : « Quand on sait vivre, on détrompe chari-

(1) Niceron, *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres de la république des lettres*, XXVII, p. 137.

(2) V. Opera Vavassoris, p. 684.

(3) Alias vocat Rapinum *Monsieur l'auteur réflexif* quia hic libellum suum inscripserat *Réflexions*.

(4) Vavassoris opera, p. 685.

(5) « Vous vous attaquez lâchement à ceux que la mort a déjà mis hors de combat. » Ibid., p. 689.

(6) Ibid., p. 695.

tablement les gens, sans reprocher malhonnêtement qu'on dit faux... L'auteur des *Remarques*, qui en use autrement, donne d'abord une méchante idée de lui et une étrange opinion de sa morale (1)... Au reste, il paraît par toutes ces faussetés que ses intentions ne sont pas fort innocentes (2). » Tum ipsum Vavassorem compellat : « Vous n'êtes pas sincère... Je ne suis pas si aisé à enflammer que vous, qui attaquez les gens sans raison et qui de gaieté de cœur faites des libelles diffamatoires contre votre caractère, car on dit dans le monde que vous n'êtes pas de profession à cela (3)... Ne vous emportez pas, s'il vous plaît, mon cher : on vous satisfera, mais ne me dites point d'injures. Je vous dirai donc pour répondre par ordre à votre beau discours... (4). » Vavassoris facultatem adeo contemnit ut aliorum ope adjutum esse eum in concinnandis Animadversionibus affirmet et molestissime scribere, et eum esse cujus miserearis (5). De epigrammatibus propter quæ Vavassor se suspiciebat, ita respondet : « Pourquoi tant parler d'épigrammes ?... Cela ne le regarde point ; un critique aigre et hérissé comme lui n'a pas l'esprit assez délicat pour en faire jamais de bonnes... Je trouve que s'il se pique d'épigrammes, il n'est guère raisonnable de se piquer de si peu de chose (6). »

(1) Ibid., p. 701.
(2) Ibid., p. 705.
(3) Ibid., p. 702.
(4) Ibid., p. 705.
(5) Ibid., p. 703, 707, 708, 709.
(6) Ibid., p. 709.

Quandiu quidem hominum natura una eademque permanebit, scriptorum genus irritabile acriter cum obtrectatoribus suscipiet inimicitias ; unde injuste faciat qui asperius succenseat Rapino propter violata modestiæ aut patientiæ officia. Sed susceptam simultatem aliter gerere ille potuit. Nam non erat tanti crebro optimatum usu urbanitatem ingenii sui excolere, si, ut primum provocaretur, in jurgiosum Trissotini ac Vadii globum maledicentia erat migraturus. Verum est quod magis etiam admirer, nempe quanta libertate quidquid ad religionem haud pertineret Jesuita quisque, etsi Congregatio certissima disciplina regebatur, prælis mandaverit. Cur in libris quibus mores instituerint Jesuitæ, alii severiorem rationem, alii faciliorem secuti sint, Pascalius hanc fuisse causam aiebat quod undique gratiam comparatam volebant. Sed quum Vavassor et Rapinus contra liberalium hominum consuetudinem, spreto sodalitatis jure, inter se digladiarentur, quid Congregatio nisi ludibrium præbebat inimicis ? Nam qui scire cupiat quomodo in elegantioribus circulis de istiusmodi simultatibus existimaretur, legat quamdam marchesinæ Sevigneæ ad filiam epistolam (1). Attamen indecorum Rapini Vavassorisque jurgium non Jesuitarum præfecti, sed unus ex utriusque amicis, Gul. Lamonius compescuit, qui ea lege, interposita auctoritate, conciliavit ut Vavassoris li-

(1) « Je lis... par-dessus tout cela les livres de furie du P. Bouhours, jésuite, et de Ménage qui s'arrachent les yeux et qui nous divertissent. Ils se disent leurs vérités et souvent ce sont des injures ; il y a aussi des remarques sur la langue française qui sont fort bonnes. Vous ne sauriez croire comme cette guerre est plaisante. » Vol. V, p. 62, edit. cit.

bellus supprimeretur, Rapinus vero inceptam refutationem omitteret. Inde hæc Rapini vox qua imperfecta ejus responsio desinit : « Calamus mihi de manibus extorquetur. » Ipsos vero utriusque collegas ista simultas adeo parum offenderat, ut mortuis ambobus libellos prope abolitos quibus invicem concerpserant in operibus Vavassoris inseruerint. Aliis quoque exemplis in promptu est probare concessam fuisse hanc invicem oppugnandi licentiam Jesuitis. Nam si Carpentario (1) credis, Mambrunus jesuita suum de epico poemate librum exaraverat quo Petri Lemoyne de Sancto Ludovico carmen reprehenderet (2). Crediderim Jesuitarum præfectos sic imperium indulgentia temperavisse ut singulis ætatibus id quod tum temporis utique defendendum arbitrarentur, omnes sodales apertissime profiteri cogerent, cetera permitterent cujusque arbitrio ; quamobrem antea sivisse ut ex Congregationis prælis diversissimæ de instituendis moribus disputationes prodirent, dum Papæ auctoritatem instaurant ; ideo quoque non obstitisse jurgiantibus inter se de re litteraria asseclis. Item, quum unum inter suos Scaligeranæ plus quam Petavianæ temporum emendationi faventem prohibuissent librum in manus hominum dare (3),

(1) Franc. Charpentier.

(2) *Carpentariana*, p, 178.

(3) Guido Patinus scribit, 8 dec. 1665 : « Nous verrons là comment le P. Labbe aura accommodé J. Scaliger et le Père Petau, et concilié les difficultés de l'histoire sacrée avec la profane. Un Jésuite m'a dit autrefois qu'il en avait voulu écrire en latin contre tous deux, mais que ses supérieurs l'en avaient empêché. C'est peut-être qu'il favorisait J. Scaliger plus que le Père Petau, comme il l'a témoigné fort ouvertement. » Epist. Patini, III, p. 570.

deinde postquam Calvinismus in Gallia videbatur exstinctus, Harduinum diu toleraverunt non solum in litterarum historia delirantem sed etiam negantem a Sancto Petro urbem Romam invisam fuisse (1).

Ludovicum Maimbourg nulla propria causa accenderat : hic Rapinum aversabatur tanquam suscipiendis critici partibus plus sibi tribuentem quam poematiorum auctorem deceret. Non illum nomine increpuerat, sed, ut solebat, inter veterum temporum enarrationem, substituta viri haud absimilis persona, descripserat : quam objurgationem suæ Græcorum Discissionis explanationi affabre interposuerat (2). Nam postquam litteras Georgii Trapezuntini ad Joannem Palæologum commemoravit et tum ejus tum ceterorum Græcorum in Europa exsulantium sortem miseratus est, nec quemquam alium quam Georgium visus est respicere, librum illius pro Aristotele adversus Platonem nuncupat et judicia æqualium de eo libro refert, tum concedit grammaticos pro jure suo de gravissimis rebus disserere, si Varroni vel Menagio pares sint : « Mais quand ce ne sont que de simples rhéteurs ou grammairiens comme George de Trébizonde *qui a fait quelques vers latins assez supportables*, un livre sur les huit parties de l'oraison et cinq sur la rhétorique où il s'est fait pourtant honneur de ce qu'il a pris d'Hermogène;

(1) Hoc in *Chronologia per numismata explicata* asseruerat, in qua etiam omnes antiquorum quos habemus libros præter Homeri, Herodoti, Ciceronis, Plinii majoris, Virgilii, Horatii a monachis in medio ævo conscriptos esse disserebat. Hic liber prodiit anno 1693; tantum anno 1707 quidquid desipuerat Harduinus jussus est retexere.

(2) *Histoire du schisme des Grecs* p. 543-544.

quand, dis-je, ils n'ont ni la force d'esprit ni la solidité de jugement qu'on doit avoir pour les hautes sciences, il ne faut pas qu'ils donnent au delà des bornes que la nature a mises à leur génie et dans lesquelles ils peuvent réussir aussi bien que ce George de Trébizonde qui n'a jamais rien fait de mieux que cette épître qu'il adresse à l'empereur Paléologue pour lui persuader, en bon rhéteur, ce que ce prince avait dejà résolu de faire, à savoir de quitter les mutins de Bâle pour s'attacher au pape Eugène. » Id quoque Rapinus ægre tulit, tamen dolorem suum compressit et fastidio tantum ultus est *eum hominem qui voluerat audere aliquid in se componere* : « C'est, au reste, si peu de chose que cet homme a écrit que cela n'est pas digne de me donner de l'émotion (1). »

In istam vero superbiam raro delabitur Rapinus, natura proclivior ad modestiam vel ad ingenuam suorum librorum prædicationem vel ad ignoscendas nominis sui celebrandi artes. Sic enim Bussæo suum de Ratione fidei christianæ librum commendat : « Vous trouverez dans ce livre de nouvelles découvertes dans le cœur humain que j'ai tâché de connaître dans les réflexions que je fais sur les actions des hommes. Et quoique j'aie un peu approfondi cet abîme qu'on a peine à pénétrer, et qu'il y paraisse peut-être du raffinement dans les réflexions que j'en ai faites, vous ne laisserez pas, Monsieur, de trouver une morale bien pure et bien chrétienne dans tout

(1) Epist. ad Bussæum, 23 aug. 1677, in Epistolis Bussæi. In Commentario de Jansenismo, amaris verbis Ludovicum Maimbourg carpit (vol. III, p. 435).

cet ouvrage (1). » Et quum Richeletus Glossarii sui definitiones exemplis scriptorum confirmare institueret, et clam conquireret qui alienis e libris locos excerperent ea mercede ut excerptæ ex ipsorum operibus sententiæ reciperentur, Rapinus alacerrime operam pollicitus est (2).

Quomodo Gabrielis Gueret animadversiones acceperit, nescio. Is Rapinum, quod neminem æqualium laude oratoria præcellere significaverat, reprehendit, quodque Regioportuenses ob vastos verborum ambitus culpaverat : hoc addit per ludibrium : « Il faut demeurer d'accord avec ce galant homme que jamais prédicateur ne sera universel, s'il ne fait provision d'une morale de qualité pour la cour, d'une morale bourgeoise pour le peuple et d'une morale campagnarde pour le villageois. Encore n'est-ce pas tout, car si ce prédicateur, avec sa triple morale, n'a le visage d'un anachorète, s'il prétend prêcher avec un visage frais et vermeil, s'il ne se défait de son embonpoint, fût-il le plus grand orateur du monde, ce nouveau rhéteur nous assure qu'il ne fera rien et que ses paroles se perdront en l'air. Sur ce pied-là il faut désormais que tous nos prédicateurs deviennent

(1) Epist. ad Bussæum, 19 mart. 1672, in Epistolis Bussæi, II, p. 80-81.

(2) « Richelet est sûr de cinq ou six auteurs vivants qui, pour avoir le plaisir et l'honneur d'être cités eux-mêmes, fourniront d'autres extraits par-dessus le marché, et chacun gardera le silence, pour mettre sa petite vanité à l'abri comme de raison. Je m'en suis ouvert au Rapin et au Bouhours qui s'y jettent à corps perdu. » Epist. Patru ad Maucroix, 4 apr. 1677, citata in *Historia Academiæ gallicæ*, edit. Livet, II, p. 50-51. — O miram vim speratæ gloriolæ, quæ spurcitiam et dicacitatem Richeleti cum castitate ac modestia Rapini consociaverit !

étiques; il ne leur sera plus permis de se bien porter; la jaunisse et la maigreur seront deux parties essentielles de l'éloquence sacrée, et voilà ce que personne n'avait encore enseigné jusqu'à présent. » Hæc a Biroat quodam culpari Gueret fingit (1) : quanquam cardinalis Perronius qui postea inducitur, hoc concedit : « Il est certain qu'on ne saurait trop crier contre les abus qui se sont vus de tout temps dans l'éloquence des prédicateurs, » et sacros oratores qui augendas fortunas prospiciunt eadem qua Rapinus severitate notat (2).

Criticas autem Rapini disputationes quas nonnulli inter doctiores vel propter odium vel propter doctrinam suam minoris æstimabant, nobiles ejus amici omnino admirabantur. Nam Bussæus scribebat se nihil vidisse expressius aut certius explicatum quam Ciceronis et Demosthenis Comparationem, et eam esse Rapini orationem quæ minime fucata videretur, eam prudentiam quam subtilitas auctoris absconderet ac commendaret (3). Commentarium de Eloquentia totum probat, et theologorum placitis duntaxat oblectatur quando a Rapino proposita audit (4). Uno ex

(1) Illum Biroat esse puto de quo Dominus Jacquinet : « Deux autres estimables devanciers de Bossuet, Biroat et Texcier, sont à l'apogée de leur succès dans ces années mêmes où Bossuet se déploie tout entier. 1660-1669. (*Des prédicateurs du dix-septième siècle avant Bossuet*, p. 366.)

(2) *La Guerre des Auteurs*, editio Amstelodami, 1723, p. 50-52. — Gabrielis Gueret supra mentionem fecimus (p. 10, n. 4).

(3) Epist. 18 aug. 1671, in Epistolis Bussæi, II, p. 13.

(4) Epist. 6 jan. 1672, ibid., II, 61-62. V. etiam epistolam 24 aug. 1672, ibid., II, p. 155-156. Commentarium de Historia sic laudat : « Il

ejus libellis piis sic commovetur ut paratus sit in equuleum, si Rapinus imperet, conscendere : « Je courrais, au martyre, ce me semble, sur votre parole (1). » Tantum ei tribuit ut eum juxta ac Gul. Lamonium jubeat suam ad regem epistolam corrigere, corrigentique morem gerat (2). Non parcius marchesina Sevignea : « Il (Rapinus) a fait un discours sur l'histoire et sur la manière de l'écrire qui m'a paru admirable (3). »

Quod quidem lectorum genus spectata viri virtus et suavium morum experientia præoccupaverant Rapinoque conciliaverant. Erunt tamen qui mirabuntur quod homines nasuti quos sui ingenii acumen et perpetuus aulæ usus, si quid alicubi ridiculi occurreret, ad ludificandum instituerant, nimiam Rapini in judicando simplicitatem haud contempserint. Sed, quanquam dum quosdam ejus commentariorum locos legunt, prope fuit certo ut in isto critici candore subriderent, hujusmodi disputationes valde probabant quibus quidquid veteres de summo quoque scriptore vel de unaquaque arte censuerant, paucis explicaretur ; juvabat studium antiquitatis nunquam intermissum renovare (4). Longas Aubiniaci, Julii a

n'y a rien de plus sensé ni de mieux écrit. » Epistol. ad Mariam a Scudery, 3 oct. 1677.

(1) Epist. 12 mai 1686.

(2) Epist. 20 oct. 1675, in epist. Bussæi, II, p. 308.

(3) Epist. 29 mai 1679, editio collectionis dictæ : *Les grands écrivains de la France*, vol. V, p. 531.

(4) V. supra (p. 9 et sqq.) rationem recitationum apud Lamonios institutarum. — Nobiles viros feminasque omnibus ætatis partibus antiquitati operam eo tempore dedisse compertum est. Ipse Bussæus epi-

La Mesnardière, Renati Le Bossu dissertationes legere minus vacabat, quarum una multis Rapini commentationibus amplior est. In hoc doctrinæ copiam admirabantur, levitatem minus quam nostri æquales animadvertebant, quoniam (pace illorum dictum sit!) criticæ minus periti erant, et iisdem falsis opinionibus atque ille fuerant imbuti. Etiam in ejus candore non adeo, ut opinor, offendebant, quia tunc ista simplicitas cum modestia, gravitate, pietate hominum litteris deditorum congruebat : quomodo poetæ criticique tenui loco nati, qui hoc imprimis sibi curandum sincere arbitrarentur ut optimates observarent, hoc imprimis optandum ut iis probarentur, nunquam in judicando fuissent simplicitati propiores? In multis Adriani Bailleti locis vix risum nos teneamus, seu Rapinum laudat quod carmina jampridem valere jusserit ne poetas imitaretur qui laurum usque ferant capiti impositam unde cani ipsorum capilli revirescant (*pour faire reverdir leurs cheveux blancs*), seu postquam contendit Virgilium mille et septingentos annos aliquem operis sui exsecutorem desideravisse, addit : « Le temps de l'espérer semblait être passé, lorsqu'on vit ce Père passer sur le ventre à tous les poètes de tant de siècles pour aller joindre son chef (1). » Nihilominus

grammata Martialis in pessimos versus gallica lingua conscriptos convertebat.

(1) *Jugements des savants*, vol. V, p. 378, 383. Hæc quoque stulte, non irrisorie Bailletus pronuntiat : « On ne l'a jamais surpris (nempe Rapinum) dans l'ivresse ni dans la frénésie poétique qui produit l'enthousiasme, et il n'en a pas été moins véritable poète... Il n'est pas de ces génies impétueux qui n'ont que du feu et qui le font paraître d'abord »

Bailletum Chr. Franc. Lamonius tanti fecit ut instituendam sobolem suam ei commiserit. Ea vero mentis ingenuitas quam Rapino ac Bailleto vulgo condonabant, adeo scriptorum moribus tunc fuit consentanea, ut ejus non expertes forent illi ipsi qui alienissimis ingeniis nascerentur : nisi forte in Cornelio aut sublimitatem ingenii aut acumen desideraveris! Atqui in disputationibus criticis interdum videtur simplicior. Item Racinius, vir argutissimæ ac festivissimæ amœnitatis, quum diligenter disputat se tragœdiarum argumenta ab historia vel ab antiquis fabulis parcissime detorsisse. Ipsa quam tum celebrabant, conformatio orationis, etsi eam urbanitatem, eum leporem præ se fert quem pauci nunc exprimant, longis verborum circuitibus et anxia elegantiæ affectatione aliquam exhibet ingenuitatem. Primus Voltarius et scriptores nostrates, et, si ita dicere licet, linguam nostram sic instituit ut prorsus ineptire desinerent. Istum vero nimium candorem quem magni illius ævi scriptores majoribus virtutibus ingenii dissimulabant, Rapinus aliique ejusdem notæ apertius produnt.

Quod vitium ut apud Rapinum optimates deprehenderint, tanquam munditia sermonis lævigato salibusque adsperso vitio ignoscebant. Singulare aliquid in ejus libris inesse dicebant : « J'y trouve une chose que je n'ai point encore vue, » inquit Bussæus, « le savoir d'un habile homme *et*, *dans les expressions*, *le tour*

(Ibid., p. 380-381). Nam sincerum fuisse Bailletum in Rapino laudando æquales credidere : « Il y a des gens qui disent qu'il (Rapinus) a été un peu trop flatté dans les *Jugements* de M. Baillet. » Bayle, *Dictionn.*, verbo *Rapin*.

aisé et naturel d'un très honnête homme de la cour (1). » Tum enim libros non tantum novarum sententiarum copia quantum sermonis salubritas commendabat : omnia fere quæ Bussæus, Rapini Buhursiique hortatu, in utriusque libris notat, ad elegantiam verborum spectant (2). Lepidissima ingenia oblectabant Vaugelasii et Buhursii in gallicam linguam animadversiones; et in vocabulis rerum definiendis patricii se tempus suavissime conterere fatebantur (3). Vel primarii scriptores iis qui notandis vitiis instituendoque et docendo prudentissimi ferebantur, opera sua examinanda permittebant, quasi vi atque audaciæ suæ mentis diffiderent, ne forte linguæ integritas violaretur; itaque et alios et Rapinum (quod supra memoravimus) Racinius orabat ut, si Ciceroniana verba licet usurpare, suam ipsius orationem nimis evagantem superbiore quadam dicendi impunitate et licentia reprimerent, et quasi ad communem linguæ usum reducerent. Cujus admonitiones Racinius haud aspernabatur, quis exempla contempsisset?

Ceterum fiebat profecto ut quos Rapini libros opti-

(1) Epist. 17 jul. 1671, in Epist. Bussæi, vol. I, p. 433.

(2) V. quæ Bussæus in Rapini de Poesi Commentario animadvertit, et (Epist. Bussæi, III, p. 470-475) quæ notat in vitam Petri Albuciensis a Buhursio scriptam.

(3) Corbinellius scribit se in eo esse occupatum ut omnia vocabula pro judicii captu definiat, Bussæumque et ejus filiam interrogat quomodo quædam verba easdem prope res significantia distinguant (Epist. 28 dec. 1678, 27 febr. 1679). Bussæus respondet, additque se quamvis minus otiosus sit quam Corbinellius, ubi ad definienda vocabula provocetur, id tantum agere velle (Epist. 31 dec. 1678, 6 mart. 1679). Saint-Evremond *Dissertationem* de verbo *vaste* adversus Academiam gallicam scripsit (*Œuvres*, édit., 1740, vol. IV, p. 1).

mates ingeniosi summatim probarent, ab iis interdum dissentirent; marchesina Sevignea sic de uno (1) ex Buhursii libris existimat, multa ibi probabilia esse, nonnulla controversa (2).

Idem profecto de Rapini operibus sentiebant. Sed hunc fructum ex ejusmodi disputationibus percipiebant, quod dum iis dant operam, multa secum reputare succurreret quæ nunquam consideravissent. Sine dubio marchesina Sevignea etiamque Bussæus, quum criticæ attendere libebat, subtilius quam Rapinus judicabant. Nam, quum hic significasset Molerium in hoc peccare quod vitia hominum describendo exaggeraret (3), Bussæus cujus, ut solebat sententiam rogaverat, respondit se judice cum Molerii comœdiis nihil posse comparari : comœdum enim risum concitare oportere, dum vitia repræsentet (4). Verum hoc elegantioribus hominibus qui ad legendum subsecivas horas conferunt accidit, ut, si

(1) *De la manière de bien penser dans les ouvrages de l'esprit.*

(2) « Il nous a donné un livre fort amusant et que l'on lit avec plaisir... Il ramasse... tout ce que nous avons vu et admiré en vers et en prose, tantôt louant, tantôt blâmant. Souvent on est de son avis, quelquefois on critique sa critique. » — Epist. 2 dec. 1687, edit. citat., II, p. 142.

(3) « On fait un misanthrope plus misanthrope qu'il n'est, un tartufe plus hypocrite qu'il n'est. »

(4) « Il (Molerius) a copié Térence, et même il l'a surpassé, et je ne l'estime pas moins pour avoir été assez souvent un peu plus loin que la nature... Qui ne représenterait que les défauts ordinaires ne ferait pas cet effet : il faut donc quelque chose d'extraordinaire, et pourvu qu'elle (nempe comica illa amplificatio) soit possible.... elle réjouit bien davantage que ce qui se voit tous les jours. Despréaux est encore merveilleux... Il a attaqué les vices à force ouverte, et Molière plus finement que lui. Mais tous deux ont passé tous les Français qui ont écrit en leur genre (Epist. 24 aug. 1673, in Epist. Bussæi, vol. II, p. 155-156).

sint ingeniosi, summam operis prudentissime æstiment, singula autem minus dispiciant ; nam nec tanta doctrina instructi sunt ut comparandis auctoribus multis virtutem cujusque perpendere instituant, et, quia criticæ rationem parum callent, quam multa sigillatim in scriptoribus sint examinanda nesciunt. Quam artem qui profitetur, vel si minus acutus sit, multas suggerit disputationes quas illi sagaciter decernere studeant ; inde, postquam omnem voluptatem quæ legendo percipitur exhaustam crediderant, novum quasi fontem delectationis emicare mirantur ac gaudent ; et quod jam cumulatius fruuntur tum scriptorum tum suis ingeniis, critico, tanquam voluptatis suæ duplicatori, gratias habent. Quare Bussæus quum rursus de aliis rebus a Rapino fuisset interrogatus, respondit : « C'est vous, mon Révérend Père, qui m'avez fait faire la première réflexion sur ces choses-là (1). »

Denique aliam quamdam Rapini virtutem quæ olim sapientissimum quemque oblectaverit et nostrorum æqualium forsan vincat fastidia, vix proferre audeo, veritus ne recentium criticæ repertorum prænotio in Rapini mediocritatem haud cadere videatur. Quam enim in partem hoc accipietur, si Rapinum laudabo quod censuerit qui velit veterum scriptorum ingenia æstimare, oportere quasi civem eorum fieri, et mores, instituta, leges ætatis cujusque pernoscere, ut judicare possit num eam perfectionem assecuti fuerint quam seculum quodque tule-

(1) Epist. 12 oct. 1672.

rit? Hanc tamen laudem non ego primus Rapino attribuo, sed ejus verba refero qui posteriorum reperta ili affinxisse non feretur, nempe Cartusii ab Argonne, Vigneul-Marville cognomine, qui eodem vixit tempore. Hic enim in suis Commentariis satis amplam disputationem Rapini recitat de iis quæ tum Ciceronem, tum Demosthenem adjuverunt vel impedierunt concionantem « *pour apprendre à ceux qui le liront* (scilicet hunc Rapini locum) *que, pour bien juger des mérites des anciens, il faut se transporter dans leur siècle, en connaître les mœurs, les usages, les lois et toute la beauté de leur langue, pour voir si dans toutes les circonstances, ils ont atteint le degré de grandeur et d'élévation que comportait le siècle où ils vivaient et, pour en venir là, il faut avoir fait bien des progrès dans la connaissance de l'antiquité et avoir bien des lumières que n'ont pas toujours eues ceux qui se sont mêlés de juger du mérite des grands hommes de ces temps-là.* » Hoc adjungit : « Ce morceau peut encore apprendre aux jeunes gens et à ceux qui prennent soin de leur éducation que c'est ainsi qu'il faut savoir l'histoire, et que des points de vue formés sur chaque siècle sont préférables à un tas confus de dates et d'événements (1). » Ceterum ita se res habet : non enim solum disseruit Rapinus qua arte ad rhetorum præcepta suam orationem, sed qua necessitate ad id quod seculum postulabat sua ingenia Demosthenes Ciceroque accommodaverint. Quod consilium, utcumque Rapino successerit, valde laudandum est.

(1) *Mémoires*, edit. 1725, vol. III, p. 87, etc

CAPUT UNDECIMUM.

QUOS LIBROS ADVERSUS CONGREGATIONIS SUÆ INIMICOS RAPINUS CONSCRIPSERIT ; ILLUM JANSENISTARUM FACINORA MORESQUE INIQUE ÆSTIMAVISSE, SED FESTIVE ET INTERDUM SAGACITER DESCRIPSISSE.

Sed cur tam multi Rapinum dilexerint et bene de ejus ingenio æstimaverint, docuimus ; nondum vero satis explicavimus quamobrem Maria a Scudery, Sevignea ceterique illius amici idem prope de eo judicavisse videantur quod olim Romani de C. Asinio Pollione, nempe illum omnium horarum esse (1). Nam vir amœnus, urbanus, modice eruditus, rumusculorum omnium prudens, alioqui gravis ac pius, in colloquiis magis, ut opinor, quam per lucubrationes se pro ingenii modulo probandum dedit. Verum contigit ut ad nos pervenirent libri quidam qui varias ejus dotes feliciter repræsentent, scilicet Jansenismi Annales. Sic enim Rapinus materiam tractat, ut credas illum de celeberrimæ sectæ vicibus præsentem confabulari. Annalium antehac ineditorum priorem partem abbas Domenech, posteriorem Leo Aubineau

(1) V. Thesim Alph. Aulard de Pollione, 1877.

vulgaverunt ; illam Domenech, *Histoire du Jansénisme*, nuncupavit, hanc Aubineau, *Mémoires de Rapin* Nihil accuratius scripsit noster, nihil quod jucundius legatur. Seorsum igitur de iis disseremus. Quoniam autem de religiosis controversiis Rapinus hic disputat et amarissime in Jansenistas maledicit, memorare oportet quatenus cautissimus ille Jesuitarum Lamoniorumque conciliator hujusmodi contentionibus se miscuerit.

Vel in primis poematiis Rapinus Congregationis suæ commodis prospexerat : nam carmen inscriptum Templum Famæ ad Mazarinum ita exsecutus erat ut Cardinalem amplissimis laudibus cumularet, hortaretur vero ad hæresim delendam :

> Vince malum, diramqne potens interfice pestem (1).

Venetæ reipublicæ ob restitutos Jesuitas fuerat gratulatus. Mox tentavit quid in concertatorio genere posset. Nam *De Nova Doctrina Dissertatio*, seu *Evangelium Jansenistarum* (2), quam non mihi contigit ut alicubi reperirem, ipso titulo satis indicat Regioportuenses aperte fuisse controversia appeti-

(1) Ea spe videlicet Cardinalem cujus instituendo nepoti præpositus erat in *Triumphali Pacis Monumento Julio Cardinali Mazarini Pro Bello Funditus Exstincto* post aliquot annos extollebat :

> Orbis amor, sæcli decus admirabile nostri,
> Cui se majestas soliorum et regia sceptra
> Submisere, tui totus dum posceret orbis
> Momenta officii...

Frustratum exspectatione Rapinum longe aliter de Mazarino postea scripsisse docebimus.

(2) Paris. 1658, in-fol.

tos. Sed duo et viginti prius intercesserunt anni quam eosdem rursus lacesseret. Nam anno 1680 Epistolam ad Cardinalem Cibum qua Apamiensem episcopum, Jansenistarum fautorem, insectatur, conscripsit (1).

Quam epistolam qui legerit, mirabitur quanto interdum studio homines boni comesque suorum odiis subscribant : sic enim de Regalia disputat Rapinus ut in priore parte de Cauleti episcopi laude quantum potest detrahat. Dum enim monet eum Jansenistarum placita penitus recepisse, ait *in eo cœno volutatum fuisse supra ceteros* (2). Significantibus quidem verbis silentium verecundum, ut vocabant, Jansenistarum irrisit (3), *funestamque et exitialem Cauleti probitatem* qua hæresis commendaretur damnavit; pro jure suo Episcopum increpuit qui, postquam sine ulla exceptione summi pontificis sententiæ erat assensus, clam deposita apud tabellionem syngrapha dicta retexerat (4). Verum etiam imbecilliore ingenio ac virtute vulgari Cauletum ait, qui, *quum ingenii esset tardissimi,* presbyteros de industria elegerit rudes, quos suo arbitratu regeret, unde factum fuerit ut in ejus diœcesi nulli Calvinistæ ad fidem catholicam redierint; ejusdem probitatem *magis inconsultam quam veram* vocat; studiosissime

(1) *Epistola pro pacando super Regaliæ negotio summo pontifice, Innocente XI, ad Eminentissimum Cardinalem Aldovrandum Cibo, pontificii Status administrum*, 1680.

(2) Pag. 2.

(3) *Si superbe tacere malit* (Cauletus), *ut mos Regioportuensium disciplinæ.*

(4) Pag. 9-14.

enim pepercisse valetudini suæ, et carnem comedere solere quibus diebus illicitum sit : « Parebat infirmitatis necessitatibus, esto. Sed cur per fautores suos tantopere prædicabatur ipsius frugalitas, si per necessitudinem valetudinis tam delicate vivere cogebatur (1)? »

Hoc quoque lector mirabitur quodaltera pars epistolæ jam non ad concerpendam episcopi, Jansenistarum amici, virtutem spectat, sed ad ipsius Papæ commoda commodis regis posthabenda ; quippe ea modo mente nonnulla vacua beneficia a Ludovico XIV dono data fuisse defendit ne Jansenistis darentur, et Apamenses episcopos bis suas immunitates repudiavisse (2). Quin ut regis voluntati summus pontifex obsequatur, et Ludovici consilia *pro hæresi suo in regno funditus exstinguenda* venditat et, minas cum adhortationibus modice interponens, quantum armis possit rex Gallorum memorat (3). Nempe in eo jurgio ancipiti a sodalibus suis haud dissensit qui tum regi quam Papæ obedire maluerunt (4).

Ergo nec voluntas nec audacia Rapinum deficiebant. Nec Congregationis antistites industriam ejus laudibus litterarum efflorescentem luxuriare sine ullo utilitatis fructu sinebant ; sed ut Rapini artes in rem suam convertere, sic eo dirigere quo ipsa

(1) Pag. 24. — Hæc etiam attendamus quibus priorem epistolæ partem absolvit : « Prætermitto cetera quæ valere queant ad hominem etiam multo magis pernoscendum, quod alienum fortasse videretur a proposita quæstione. » Ead. pagin.

(2) Pag. 29-32.

(3) V. utique pag. 25 sub finem.

(4) V. Henri Martin, *Hist. de France*, vol. XIII, pag. 618-619, edit. de 1860.

ferebat natura anteponebant. Minus Rapino suppeditabat illa rerum theologicarum prudentia, illa gravitas, illa pugnacitas indefessa qua Arnaldus ac Nicolius doctos et laboriosos libros exarabant; verum præterquam quod ea erat comitate qua multos ad studium suæ Sodalitatis perduceret, sic erat diligens ut proposito aliquo opere, quidquid pertineret ad institutum, undecumque conquireret; cum tam multis omnium ordinum celeberrimis hominibus ac feminis necessitudines habebat, ut quod rumor tenuissimus prodiderat, auribus acciperet; urbanum dicendi genus afferebat, quod, si materiem plurimorum sermonibus frequentatam insignium personarum descriptionibus, levium dictu momentorum narratiunculis et rumusculorum quasi salibus adspergeret, optimates grata novitate oblectaret. Itaque non hoc asseverabo quod nemo tradidit : nempe Jesuitarum antistites ei auctores fuisse ut Jansenismi perscriberet Annales (1) ; eos vero, si Rapinus sponte sua ei operi animum adjecit, valde assensos esse arbitror. Permiserunt igitur ut circa tempus quo illuc mentem appulit, Romam inviseret, tabularium Sancti Officii excussurus (2). Ceterum ibi inter illos Annales

(1) Litteraria quædam pensa Jesuitis etiam repugnantibus injuncta fuisse pro cujusque ingenio a præfectis suis probare supervacaneum puto ; ceterum vide Bussæi ad Buhursium epistolam : « J'aimerais mieux que la Société eût laissé votre travail à votre choix ; mais puisqu'elle a pris d'autres pensées, je serai fort aise de voir le Nouveau Testament de votre façon et la critique des termes et de la prolixité de Port-Royal. » Epist. 27 oct. 1690.

(2) Buhursius ait plures quam viginti annos in Annalibus Jansenismi exarandis fuisse consumptos , unde verisimile est circa annum 1665-1666 opus fuisse inchoatum ; Rapini vero iter ad tempus pertinet quo

conficiendos præsens Congregationi suæ auxilium præstitit : quanquam enim solet quum iter suum memorat, modo nos docere quid a quoque audiverit, narrat (1) se, postquam monitus fuisset a Valentino Bigorre abbate, gallicæ legationis scriba, Cardinalem Barberinum et Bonam, summum Folietanorum antistitem, qui nostræ linguæ male forent periti, in eo esse ut translationi Scripturæ quæ Montium Hanoniæ nomine appellatur, subscriberent, ad Clementem Papam ivisse ac testimonium accusatorium per tabellam consignavisse. Ipsam poeticam artem adhibuerat ut romanum pontificem Jesuitarum partibus adjiceret ; nam lyricos versus Romæ ediderat quibus et eum oloris appellatione decorabat, et renuntiatum ejus pontificatum dolore Jansenistas, gaudio ceteros affecisse significabat :

Oderint illi tamen, ire contra
Qui tuos nutus misere obstinarent,
Debiles parere tibi, sibique
    Fidere fortes !
Sed tuus te grex amet ut parentem,
Judicem dum te timeant rebelles,
Quando Tarpeio metuendus igne
    Fulmina torques !

Sed istiusmodi officia multi alii præstare poterant : singularis operæ ac majoris momenti, ut quidem Rapinus, nisi fallor, existimabat, erant Jansenismi Annales.

Clemens nonus summus pontifex erat, scilicet ad annos 1667-1669. Eamdem fuisse causam arbitror cur Rapinus circa idem tempus Flandriam, unde Jansenismus in Galliam emanaverat, inviserit. (De quo itinere, v. Rapini ad Magdalenam a Scudery epistolam a dominis Rathery et Boutron editam : *M*[lle] *de Scudéry*, p. 496).

(1) Edit. Aubineau, vol. III, p. 404-406.

Horum testimonia quo animo historicus æquabilis accipere debeat non disputabimus. Seu jure, seu injuria et archiepiscopum Senonensem et Henricum Duhamel, S[ti] Mederici presbyterum, et nonnullos alios Regioportuensium fautores criminatus sit (1), verisimile est inter Jansenistas exstitisse aliquot veteratores qui austeritatis prædicationem lasciviæ morum prætenderent vel ad conficiendos nummos referrent. Fatebimur tamen, postquam jurgia de gratia divina deferbuerint, Rapinum sibi fidem demere, quum nullius prope ex iis quos non integerrimi tantum inter optimates vel litteratos ea ætate, sed Bossuetus ipse est reveritus, virtutem in dubitationem adducere tentat. Quis credat Jansenistarum duces suavissimis pulmentis corpora curavisse, jejunia plebi suæ delegavisse (2)? Quis quanquam testimonium marchionissæ a Villesavin præ se fert, abbatem S[ti] Cyrani gulæ (3) vel Antonium Singlin, insigne illud austeritatis exemplar, mollitiei fastui-

(1) V. *Mémoires*, passim. — Pascalii de Joanne ab Alba (V. sextam ad Provincialem epistolam) narratiunculam adversus Jansenistas retorsit : ait enim Henricum Duhamel tantum ex eleemosynis intervertisse, quantum emendæ villæ sufficeret ; hominem vero e secretioribus amicis quem emptioni adhibuisset, villam in se per fraudem transtulisse (*Mémoires*, edit. Aubineau, vol. I, p. 444).

(2) « Pendant que les notables vivaient de la sorte, le commun faisait pénitence pour faire les honneurs de la nouvelle opinion dont les maximes allaient à la sévérité. Quoique on vécût austèrement dans la communauté de Port-Royal, on ne laissait pas d'y régaler dans certaines rencontres les bons amis... Cet esprit de bonne chère commençait alors à règner parmi les importants de Port-Royal. » *Mémoires*, I, pag. 405, edit. Aubineau.

(3) *Hist. du Jansénisme*, pag. 348.

que (1) serviisse ? Ut Rapino demus Ant. Arnaldum, quum perquireretur celatum esse ab iis mulieribus quibus Lutetia abundaret, quæ pietatem profiterentur morumque suorum rectores impensissime diligerent (2), quis historicum ferat cur ille unam ceteris cariorem habuerit quærentem, inter alias causas pulchritudinis mentionem facere (3) ? Ceterum quieta virtus Rapini inter nobilium ædium lautitias collegiorumque elegantias nutrita ab omni animosiore atque asperiore virtute abhorret ac refugit ; quam igitur austeritatem in piis commentariis laudat, ubi videt in nonnullis æqualium repræsentatam, non agnoscit. Scilicet S[ti] Cyrani abbatem Corneliumque Jansenium negat potuisse undecim annos in tractatione librorum continuare, omni prope hominum commercio abstinentes, nisi speravissent fore ut olim factionis participes evaderent (4). Cur integram Cistercensium normam Rancæus restituerit, nullam aliam credit esse causam quam quod ille in omni re

(1) *Mémoires*, edit. Aubineau, vol. I, pag. 448.

(2) «... une de ces dévotes de profession dont Paris est plein, qui s'affectionnent à leurs directeurs par tout ce que l'amitié la plus étroite peut avoir d'empressement. » Ibid., I, p. 474.

(3) « Celle de l'île [S. Louis] était la favorite, ou parce qu'elle avait plus d'esprit, ou qu'elle était mieux faite, ou enfin parce qu'elle était plus dévouée aux volontés du docteur, et plus zélée pour la nouvelle doctrine. » Ibid., II, 242.

(4) Il fallait une aussi grande ambition que celle d'innover dans la religion... pour soutenir tout ce que cette réclusion avait de sombre et d'affreux dans un âge qui n'aime et ne recherche que la liberté et le divertissement : c'est une violente passion qu'ils avaient tous deux de devenir chefs de parti et de s'abandonner éperdument à l'esprit de domination » (*Hist. du Jansénisme*, p. 51).

immodicus fuisset (1). Vix aliam opinionem Voltarius edidisset. Quasi vero Rapinus metueret ne olim philosophis plus æquo placeret, significavit se judice recte facere qui hæreticos vexarent (2).

Sed ita ejus iniquitatem vituperemus ut meminerimus Jesuitas quoque a Regioportuensibus multa inique exprobata audiisse. Ceterum Rapino sæpius accidit ut quæ injuste diceret, secum pœnam afferrent: tum enim ejus dicendi genus, liberale alioquin ac modestum, sordidos jocos vel sacerdoti parum decoros affectat. Nam istuc delabitur ut scribat : « Il se fit un nouveau *micmac* de morale à Port-Royal,

(1) Postquam enim Rancæum scripsit Mazarino in Cleri conventu esse adversatum, quia sub umbra pietatis simultatem et libidinem dominandi exerceret, addit : « Ces manières doivent s'imputer à un esprit excessif en toutes choses, et les suites de la vie de cet abbé peuvent être de grandes preuves des extrémités dont il était capable. Ce fut aussi sur le fond d'un tempérament si impétueux que se forma cette austérité de la Trappe, qui étonna notre siècle. » *Mémoires*, edit. Aubineau, II, p. 390-393. — Suspicabatur quidem Rancæi voluntatem ad Jansenitas propensiorem esse.

(2) Quum episcopus Andegavensis, Antonii Arnaldi frater, Parisiensi episcopo Regioportuenses disturbanti, S[tum] Martinum allegavisset qui sumptum de Priscilliani asseclis supplicium improbavisset, Rapinus ait : « Les historiens de ce temps-là remarquent que ce saint fit bien moins de miracles après avoir parlé en faveur de ces hérétiques et qu'il en fut puni de Dieu, lequel ne veut point qu'on ménage ceux dont l'erreur déshonore son éternelle vérité. » Ibid., II, p. 311. — Judices qui Theophilum poetam atheismi crimine liberavissent ait relationi magistratus qui capitis condemnandum censuisset, magnam injuriam fecisse « *une grande injustice faite au Rapport* » (*Hist. du Jansénisme*, p. 192). Denique, quasi ii soli se crudeliter habitos queri possint, quorum corpus cruciatum sit, Regioportuenses irridet, qui martyrum nomen affectent, ne uno quidem barbæ pilo avulso (*Mémoires*, edit. Aubineau, III, 336).

qui contribuà encore à en faire connaître l'esprit (1); » vel doctorem Ste Beuve asserat habuisse « *un petit air dévot* » et, quoniam presbyterorum movisset invidiam, factum esse « *une espèce de directeur en chambre garnie* (2); » vel his verbis dolorem describat ex Jansenistarum damnatione a comitissa a Plessis conceptum quæ forte alvum tunc purgaret : « La comtesse pressée courut à la garde-robe, où elle pensa crever de dépit et de sa médecine (3). » Quid quod ei accidit ut Pascalii non argumentationem modo sed etiam scribendi genus aspernetur? Cujus si tantum tres primas ad Provincialem epistolas contempsisset, excusare posset quod eas ab Arnaldo, non a Pascalio scriptas esse crederet (4); sed quartam decimam cujus verum auctorem novit et qua nihil perfectius est, despicit, tanquam « *un misérable lieu commun tout usé sur le meurtre* : » « Il [nempe Pascalius] fait de grands efforts pour relever son style... Il s'amuse à dogmatiser niaisement sur la défense de l'homicide par les lois (5). » Ex iis quidem epistolis si qua cum Jesuitis remissius agebat, fatebatur luculente scriptam esse (6) : Pascalius vero causa fuit cur hanc ineptiam ceteris suis ineptiis ineptiorem ediderit : Regioportuenses proferendis in lucem casuistarum sententiis

(1) *Mémoires*, edit. Aubineau, I, 306.
(2) Ibid., I, 401-402.
(3) Ibid., II, 126.
(4) Ibid., II, 357, 358, 360.
(5) Ibid., II, 407.
(6) Nam in una ex iis ait exhiberi « certains traits d'une raillerie si délicate et d'une vivacité si fine » ut homines vulgo conceperint « une impatience pour les suivantes dont on a peu d'exemples. » Ibid., II, 366.

auctoritatem dedisse impietati ac flagitiis (1), quod idem mihi valere videtur ac si quis censeat publicos mores non ab illis qui scelera perpetrent sed ab illis qui scelera deprehendant vulnerari (2).

Sed jam omittamus quæ præ odio effutiit; et quum duas res sibi in Annalibus Jansenismi proposuerit, ut et doceret nos et delectaret, illud negligamus, hoc tantum attendamus. Non nervis quidem aut lacertis valet Rapini dictio : tamen, ubi Jansenistæ criminibus opportunos se præbent, acerrime urget premitque. Quippe vehementer exagitat dexteritatem (*les tours de souplesse*) Ant. Arnaldi, qui, postquam Jansenium ob celeberrima illa quinque placita laudavit, eadem apud illum negat reperiri, ut si quo libro Arnaldus effingatur repugnantia suo more dicens, lector æque delectari possit quam quum deliret ille Pascalii simplicissimus Jesuita, *cet idiot de Jésuite* (3). Præterea Rapini ingenium haud utique altum fuit : tamen intuenti mihi quantopere reges ex Borbonia familia orti, vel quum nec ministrorum

(1) Ibid., III, 414.

(2) Alias hoc confessus erat : « Pascal avait peut-être raison d'être choqué de la licence que se donnaient les casuistes dans la plupart de leurs décisions de morale. » Sed adjecerat eorum reprehensionem non ad eum spectare « lui qui avait vécu dans les premières années de sa jeunesse en un libertinage de profession. » Ibid., III, 360. — Semel quidem unam ex pravis casuistarum sententiis tueri tentavit : « A la vérité, Pascal fait bien le sévère... de ne pouvoir souffrir qu'on témoigne sa reconnaissance à un juge par un présent ; il s'emporte contre Molina et Layman sur cet article d'une grande force, mais sans raison ; car il est permis à tout le monde de faire des présents et d'en recevoir, cela ne faisant de tort à personne. » Ibid., II, 381.

(3) Ibid., III, 370.

neque amicarum voluntatibus regerentur, id genus vitæ amplexarentur quod semel iniissent, hoc a Rapino acutissime videtur observatum quod propter inviolatam Armandi a Conti erga Jesuitas amicitiam animadvertit : « Tous les Bourbons sont princes d'accoutumance (1). « Nemo philosophus hoc effatum contemnet quo breviter significavit ille potestatem quæ religionum auctoribus obtingat magis lenocinari ambitioni quam quæ regibus vel maxime imperiosis : nam ex horum jussibus acta modo hominum, ex illorum arbitrio ipsas volutates pendere : « L'ambition d'innover dans la religion est la plus grande de toutes, parce qu'elle exerce son empire sur les cœurs (2). » Antequam Gallicus Theophrastus hanc sententiam edidisset, Gallorum quemque regem a civibus suis contemni, nisi gravitatem præ se ferat, Rapinus monuerat severa morum præcepta non omnino displicere nostræ gentis indoli, licet habitus procacioris esse videatur (3). Eorum qui honores gerant morem exploraverat, quos scripserit munera sua cum familiaribus ita dividere ut amplitudinem dignitatis retineant, imperium delegent (4).

Nec tantum in uno et altero dicto perspicacitatem laudaveris, sed duas res quæ Jansenistas ad disseminandas opiniones imprimis adjuverint acutissime

(1) Ibid., I, 245-246.

(2) *Hist. du Jansénisme*, p. 51.

(3) *Mémoires*, edit. cit., I, 22.

(4) « Ceux qui sont constitués dans quelque grand poste... ont d'ordinaire grand soin de conserver toute la dignité pour eux, mais d'abandonner un peu l'autorité à ceux qui les approchent et par qui ils se laissent gouverner » (*Hist. du Jans.*, p. 69).

vidit : quanquam enim singulorum virtutem vel aperte vel oblique culpare solet, universorum placita, etiam interdum mores *totam Lutetiam admiratione commovisse* testatur (1), et emendata gravique in scribendo ubertate Regioportuenses effecisse ut plurimi æstimarentur (2). Hoc tantum excipit, dum, ut opinor, in se suosque sodales respicit : « Il est vrai qu'il se trouva à Port-Royal, où l'on se piquait tant d'esprit, peu de poètes de génie (3). » Quas ob causas in tantam celebritatem Jansenismus profluxit ; nam, ut ait Rapinus, quum apud Belgas secta illa consenesceret, in Gallia aditum ad optimates patefaciebat (4).

Sed leporibus præcipue multis et venustate quadam scribendi Annales Jansenismi lectorem alliciunt ac detinent. Genus orationis simplex, purum, elegans, ingenuitatem urbanitatemque sapit. Rerum varietas tædio obstat : quippe non modo concertatorios libros excutit, aut litem coram summis pontificibus illatam explicat, sed apertas secretasve artes quibus Regioportuenses et Regioportuensium inimici invicem adoriuntur, et quæcumque vel levia dictu vel gravia aliquod momentum in ea controversia habuere ; ut enim bellum civile cui ex fundis nomen venit, ita interdum baccalaureorum theses ad summam theologicæ disceptationis pertinuerunt. Nunc Romam,

(1) *Mémoires*, edit. cit., I, 22, 333. In secundo volumine, p. 264 legere est : « Leur vie édifia merveilleusement tout Paris. »

(2) Ibid., I, 22, 332, 333. In secundo volumine, pag. 276, Jansenistæ perhibentur artem dicendi scribendique æqualibus suis tradidisse.

(3) Ibid., II, 196.

(4) Ibid., I, 36.

nunc Lutetiam lector ducitur; nunc ad fores augustissimorum tribunalium Rapinus subauscultat, aut quasi per murorum rimas Regioportuenses observat, nunc nos prope cathedram sacrorum oratorum sistit, vel per compita circumducit, vel in elegantiores circulos intromittit. Inde multa facete dicta, multa facete narrata, sive de duobus Jansenistis Belgis Rapinus agit, de quibus ait : « Ils avaient fort à cœur d'être quelque chose pour en faire honneur à saint Augustin (1); » sive juvenis presbyter Vasco e morbo recreatus renuntiat medico se emendando orbi præfectum esse, ei vero vicem primi apostoli delegat, unde medicus ea lætitia perfundatur ut in insaniam incidat (2); sive archiepiscopus Senonensis, ut Lutetiæ presbyteros in suas partes trahat, facit ut cum nonnullis inter eos ad cænam vocetur, tum, postquam de Religiosorum ambitu multum declamatum est, ut pulmentum quoddam condatur suadet, et apertam episcopalem crucem piperis candidi, quod nusquam repererat hospes rogatus, plenam ostendit; quo ludo omnes convivas sibi conciliat (3).

Morum observationem et ingeniorum descriptionem ea ætate fuisse acceptissimas nemo ignorat: hujusmodi quoque laude Annales Jansenismi lectorem oblectant; mulierum præsertim indolem, ut qui plurimarum feminarum familiaritate uteretur, perspexit. Nam quamobrem multæ Jansenii placita amplexarentur callidissime enucleavit : quas enim prius

(1) *Mémoires*, edit. cit., I, p. 75.

(2) « Le pauvre médecin en fut pénétré d'un sentiment de joie si extraordinaire qu'il en devint fou. » Ibid., I, p. 57.

(3) Ibid., I, 483-484.

theologi quorumdam dogmatum expertes esse jubebant, ab earum intelligentia remotorum, eæ libentissime audiebant Guemeneam vel alias a Jansenistis edoctas « parler d'un air décisif de la doctrine de saint Augustin..... (1). » Præterea illas juvabat per novas secretasque vias ad virtutem perduci (2).

Singularum quoque feminarum quæ alacerrime discurrebant ut Jansenistarum placitis modo celebritatem, modo securitatem præstarent, feliciter ingenia expressit. Liceat Jansenistis quod marchionissa a Sablé hospitium a Regioportuensibus impetraverit, sibi gratulari : intelligit Rapinus quum illa specie ingenua sit, revera callida, et circulis, salutationibus gaudeat, et lautas epulas edat libentissime, ceterum gratificandi amicis peritissima, novam doctrinam sibi proposuisse cognoscendam potius quam sequendam, et magni facere potiusquam ex animo amare; quare dum ejus sollicitæ valetudinis curæ alludit, facete scribit hanc inter alias causam fuisse cur in conventum secederet quod pigeret festis Ecclesiæ in media plebe interesse (3). Catharinam Francescam a Vertus Victor Cousin (4) et Sainte Beuve (5) vix credunt iis

(1) Ibid., I, 95-96. Hunc locum supra citavimus, v. p. 90-91.

(2) «... ces voies écartées qui plaisent toujours aux femmes, parce que la vanité, à quoi elles sont sujettes, leur fait aimer tout ce qui les distingue des autres » (*Hist. du Jansénisme*, p. 199).

(3) «... une délicatesse... qu'elle avait de ne pas s'exposer dans les églises à entendre la messe les jours d'obligation parmi le peuple. » *Mémoires*, edit. cit., I, 173-175.

(4) V. ejus librum de marchesina a Sablé. Ceterum Magdalena a Scudery Catharinam Francescam a Vertus parum sinceram fuisse tantum non fatetur (Cousin, *La Société française au dix-septième siècle d'après le grand Cyrus*, I, ch. 5).

(5) *Hist. de Port-Royal*, V, p. 103-104.

vitiis fuisse affinem quæ Rapinus indicavit. Sed quod ad ipsam feminæ indolem spectat, noster non facetissime modo sed ita vivide expressit ut veritatis fidem faciat : illam enim præ ingenita obsequentia, solitam esse ab iis qui forte colloquebantur adduci ut in fine sermonis aliter loqueretur et sentiret quam initio, et, quod esset adulatorio blandoque animo, nec quemquam potuisse resistere, si quando placere illa instituisset, nec ipsam resistere valuisse si cui placuisset : « Etant flatteuse comme elle l'était, elle était (1) agréable d'une manière qu'on ne lui résistait point quand elle voulait plaire, non plus qu'elle ne résistait pas quand elle avait plu (2). » Dolebunt multi quod eum non ad misericordiam induxerit ducissa a Longueville gravissimam peccatorum pœnam de se capiens : fatebuntur tamen lepide his verbis et ducissam et ipsam illam ejus amicam, Cath. Francescam a Vertus irrideri : « [Elles vivaient] d'une manière à attirer les yeux de tout Paris. Elles étaient toutes deux habillées trop simplement pour leur qualité; c'était une modestie un peu outrée, car elles étaient vêtues en vraies tourières des Carmélites, et passaient l'une et l'autre une partie de leur vie dans une affectation de minauderie éternelle, gémissant sans cesse toutes deux au coin de leur feu sur les désordres du siècle et sur les malheurs de l'Eglise, médisant avec hauteur de tout le monde par principe de réforme (3). » De virtutibus ducissæ haud æque judi-

(1) Impedita in hunc modum orationis continuatione et verborum iteratione quæ candorem scribentis exhibent sales Rapini venditantur.

(2) *Mémoires*, edit cit., III, 234.

(3) Ibid., III, 236.

cavit, esto : quibus autem vitiis illa non sibi modo sed infelici patriæ nocuerit, subtiliter animadvertit. Non enim communi superbiæ crimine reprehendit, sed superbiæ genus diligenter describit : ait ducissam quæ ceteri laudandæ ipsius causa dicerent plerumque contempsisse, quoniam nemo satis argute laudare visus esset (*parce qu'on ne la louait jamais assez finement*); ut hos tantum a quibus peritius prædicaretur magni faceret : « Elle n'avait de *considération* que pour ceux qui savaient mieux la flatter (1). » Quod si attendes eam ut amatorem suum ad honores promoveret, civile bellum omni ope fovisse, et per inconsultam temeritatem cladibus obviam iisse, huic Rapini judicio assentieris : « Elle ne connaissait presque pas les motifs solides et naturels d'équité, d'honneur et de bienséance qui font agir les autres hommes..... Elle avait l'esprit beau, mais d'un caractère qui ne ressemblait à rien ; *ce n'était ni pénétration naturelle, ni étendue de lumières, mais une espèce de bon sens fort exquis, formé par le commerce des gens de la cour et fait par le monde*, dont elle avait su si bien profiter qu'il n'y avait personne dans le royaume qui parlât ou écrivît mieux qu'elle, et tous ceux qui se piquaient de bien écrire lui faisaient la cour. Mais ce fut *ce caractère d'esprit borné* qu'elle avait sans capacité ni sans intelligence aucune des affaires qui faisait qu'elle était toujours gouvernée et toujours soumise à ceux qui la gouvernaient, toute vaine et ambitieuse qu'elle était (2) ..... Dans les au-

(1) Perspicacius hoc animadvertit Rapinus, quam si dixisset eos tantum ab illa *dilectos* fuisse.

(2) *Mémoires*, II, p. 146-147.

tres personnes les grandes choses sont d'ordinaire le ressort des petites; dans elle et dans toutes ses manières les petites étaient les ressorts des grandes (1). »

Inde quoque multum jucunditatis operi accedit quod nonnulla festive vel libere de iis etiam qui in maximis dignitatibus versati nuper erant interjecit. Nam Ludovicum XIV sacrosanctum habet; tamen quatenus ejus fama salva futura est, nonnulla audet animadvertere, quæ quidem apte observavit, scilicet illum noluisse duo Regioportuensium monasteria rursus uni abbatissæ permitti, ob alias et ob has causas : « ...Une petite jalousie (adversus Condæum qui se isti negotio interposuerat) et des fiertés un peu fortes à l'égard de ceux qui cherchaient à le surprendre (2). » In Henrico IV aliquanto audentior fuit : narrat enim quum apud quamdam ejus amicam disputaretur an, si forte in aliquo oppido obsessus rex inopia cibariorum laboraret, jure posset uno militum vesci, Henricum hoc sibi vindicavisse, quamvis foret justus ac clemens : « Il faisait, » inquit Rapinus, « ce que font tous les princes dans leurs intérêts, qui se flattent toujours (3). » Ut noster veretur libidines Ludovici XIV deplorare, ita Mariam Manciniam caste ab eo amatam fuisse aperte dicit (4).

(1) Ibid., III, p. 233-234. De eadem, v. ibid., I, p. 35 ; II, p. 155, 457.

(2) Ibid., III, p. 485-486.

(3) *Hist. du Jansén.*, p. 45.

(4) « Le roi de France l'avait aimée et avait eu tant d'empressement pour l'épouser, comme on a su à n'en pouvoir douter. » *Mémoires*, edit. cit. III, p. 83.

Ludovici vero matrem et ministros atque aliquot illustrissimos ex æqualibus liberrime appellavit : nempe in Annæ Austriacæ levitatem salse cavillatur, quum ait ducem a Beaufort apud eam fuisse gratiosissimum *duos aut tres dies* (1); idem Mariæ Mediceæ contumaciam aptis verbis descripserat : « Elle répandait pour ainsi dire l'esprit de révolte dans tout le royaume contre son fils (2). » Arrogantiam Condæi metuendamque dicacitatem, quæ Bossuetum præterierant, diserte notavit (3). Interdum etiam reipublicæ gubernatorum consilia damnare in Concini ejusque uxoris pœna audet (4).

Sed tum utique garrit licentius quum religionis cura suetam viri modestiam vincit. Nam a Mazarino imprimis abhorret cujus gratia Annam Austriacam perniciem prope Galliæ attulisse dicit (5). Eam vero alienationis causam facile dispicias, quod quum Ri-

(1) « Le duc de Beaufort qui fut favori de cette princesse deux ou trois jours... » Ibid., I, p. 64.

(2) *Hist. du Jansén.*, p. 73.

(3) « C'était un dangereux railleur; son air méprisant et ses railleries... » Ibid., I, p. 274. — « Le prince de Condé avait fait des railleries d'elle (nempe de sorore sua, ducissa a Longueville) qui l'avaient vivement piquée, car il n'épargnait personne. » Bossuetum et Condæum par ingeniorum sublimitas conjunxerat; inde hic et adversus illum et coram illo adversus quemvis ab omni dicacitate, ut opinor, temperavit; sed, ut concesseris Bossuetum ignorasse quod nec ipse erat perpessus, nec alios fortasse viderat perpetientes, mireris Victorem Cousin quosdam Condæi versus ad Marsinum amicum referentem, expeditam orationem laudare, inexpiabili convicio infectam non detestari (*Jeunesse de Mme de Longuev.*, 1re partie, ch. 2).

(4) *Hist. du Jansén.*, p. 53.

(5) « Quoique la reine, par une fausse gloire de fermeté qu'elle fit paraître dans un trop grand attachement au card. Mazarin, pensât perdre tout l'Etat. » *Mém.*, I, p. 272. — V. etiam ibid., I, p. 437.

chelius Sancti Cyrani abbatem in carcerem conjecisset, ideoque Rapino valde placuisset (1), Mazarinus Jansenistis ac Jesuitis medium se præstiterat (2). Quin constantiam ejus in morte non e pietate sed e philosophia profectam esse judicat : « Il y parut plus de philosophie que de christianisme. C'était un bon esprit que le ministre, qui parlait bien de toutes choses, et ne le cédait à personne pour parler de Dieu, mais dans le fond c'était un politique, et qui mourut un peu en philosophe, comme il avait vécu (3). » Itaque detrahit de ejus laude, tanquam cujus omnis industria ad tuendam potentiam quam dexteritate et obsequio comparaverat referretur (4). Quandiu speraverat eum Jansenistas insectaturum esse, grandibus laudibus prudentiam ac virtutem viri extulerat (5) ; etiam, si Mazarinus hæresim sustulisset, summum ei pontificatum vaticinatus erat, *quippe manum qua gentes pacatæ fuissent dignam esse quam reges oscularentur :*

Et si forte humeros Franco subduxeris orbi,
Omnis terra tuum tunc onus esse queat.
Si Roma annuerit neque mundi dicta refutet,
Qui patriæ fuerat et pater orbis erit (6).

(1) *Hist. du Jansén.*, p. 378, 490.

(2) « Comme il n'eut pas tout le zèle de son prédécesseur pour la religion, l'affaire de la nouvelle doctrine fut un peu abandonnée dans les premières années de son ministère, car il eut alors d'autres choses à penser, et son établissement ne fut pas des moindres qui l'occupèrent d'abord. » Ibid., p. 494.

(3) *Mémoires*, vol. III, p. 108.

(4) *Hist. du Jansén.*, 94, paulo ante locum ejusdem paginæ supra citatum ; et *Mémoires*, vol. I, p. 332.

(5) V. supra thesis nostræ pag. 147.

(6) *Secund. eleg.*

Quod ad Colbertum spectat, eadem sane causa exstitit : eum enim idcirco negat civilis scientiæ tam peritum fuisse quam ipse dictitaret (*aussi bon politique qu'il voulait le persuader*), quod Jansenistis parcebat : « Car il contribua à cette misérable paix de l'Eglise qui pensa gâter tout, et conseilla après à l'archevêque de Paris, François de Harlay, de ne plus parler de cette affaire, en se servant de Jansénistes et de Molinistes indifféremment pour son conseil. » Eum ait Michaelis Le Tellier æmulatione impulsum fuisse ut in Romanam curiam inveheretur; tum quia Colbertus aliquo in numero abbatem quemdam Jansenistam ponebat, Rapinus sic judicat : « C'était un homme à donner dans des apparences qui ont quelque chose de spécieux et à se laisser prévenir (1). »

Quid vero si in Annalibus Jansenismi lector non optimates modo vel reginas reprehensos offendit, sed curiam ipsam Romanam vellicatam ? Aspero sane verbo Barberinum Cardinalem castigavit, qui summi pontificis edictum adversus Jansenistas serius quam oportebat ediderat : « Telles furent les suites de la misérable politique du Card. Barberini par ses longueurs (2). » Alia vero Rapino exciderunt, non unum hominem perstringentia sed totius sacri collegii mores libere describentia : eam enim comitatem Romæ florere ait quæ animorum sententiam nequaquam indicet : « L'évêque d'Angers, frère d'Arnaud,

(1) Hæc adversus Colbertum maledicta leges : *Mémoires*, vol. III, p. 138.

(2) *Hist. du Jansén.*, p. 497.

vivait en Moliniste avec les Jésuites de La Flèche, tant il les traitait bien, tout Janséniste qu'il était. C'étaient des manières qu'il avait rapportées de Rome, où il avait appris ces airs honnêtes qu'on y pratique à l'extérieur pendant le séjour qu'il fit étant abbé de Saint-Nicolas (1). » Aulæ etiam pontificiæ consilia ad normam aliarum aularum dirigi asserit : « Cette cour où l'on se gouverne fort selon les mouvements hauts et bas des autres cours (2)... » Quin occultas artes retexit per quas captata fuerint sacrorum comitiorum suffragia, unde Clemens nonus, ab ipso, ut supra dictum est, magnopere laudatus, Papa renuntiatus sit : « Etant [nempe Cardinalis Azzolinus] à la tête de l'escadron volant (3) dans le dernier conclave, après avoir gagné le cardinal Chigi, qui était à la tête des cardinaux de la création d'Alexandre, son oncle, il fit plier sa faction de l'escadron pour la joindre à celle de Barberin et de Chigi, par où il eut tous les suffrages pour Rospigliosi (4). »

Invitus profecto librum pro facultate refertum omni lepore Rapinus in scrinio dissimulavit; sed obstinatam operam et spe præsentis gratulationis destitutam posteritas haud aspernata est. Nullum enim inter Rapini opera sæpius in nostrorum æqualium manus venit. Testimonia quidem inde elicere

(1) *Mémoires*, vol. I, p. 340.

(2) Ibid., I, vol. p. 375.

(3) « Escadron volant, parti de cardinaux qui dans un conclave font profession de n'embrasser les intérêts d'aucune cour. » Littré, *Diction*.

(4) *Mémoires*, III, p. 455.

quæ confirmarent vel refutarent, præsertim studuerunt : sed plurimos Annalium Jansenismi locos illi ipsi qui animi causa evolvent, et Rapinum scribendo et se legendo non frustra tempus contrivisse, nisi fallor, fatebuntur.

CONCLUSIO.

Fuit quidem cur Rapinus gratias Deo agere deberet quod illa potissimum ætate natus esset. Nos vero, etsi levitatem viri exagitavimus, arbitrati sumus haud sine aliquo fructu scripta ejus expensum iri, cui, tanquam ab inferis evocato, Sainte Beuve dixit : « Vous êtes un aimable homme... Vous êtes de ces religieux qu'on aimerait à rencontrer dans le monde et avec qui on passerait une heure ou deux fort agréablement (1), » aut tenorem vitæ describi qui Lamoniorum convictor et plurimorum optimatum amicus fuit.

Hoc etiam addemus, quum Societas Jesu multis celebrioribus viris seculo Ludocici XIV commendata sit, Rapinum non insignius unam inter singulas Congregationis artes, sed plenius universam ejus indolem repræsentavisse. Nam si memineris alios Jesuitas propagandæ pietati, alios evertendis Jansenistis operam dedisse, alios conciliandas necessitudines principesque regendos sibi proposuisse, alios puerorum institutioni vel eruditioni aut amœnioribus

(1) *Port-Royal*, II, p. 552.

litteris vacavisse, Rapinus minore quam Burdalœus eloquentia ac gravitate religionem laudavit, minorem quam regis confessores gratiam ad Jansenismi exscidium contulit, minore quam Juvencius gnavitate ac peritia adolescentulorum disciplinam tractavit, nec cum Vavassore aut Ruæo de eruditionis palma, cum Buhursio, quod ad subtilitatem judicii spectat, potest contendere; sed quæ separatim insignioribus illis hominibus obtigerant, Rapinus in se omnia aliqua ex parte recepit.

Fertur Platonem Dionysio juniori de Atheniensium civitate sciscitanti comœdias Aristophanis legendas misisse : qui Congregationis Jesu rationem cito velit perspicere, Rapini vitam ac libros cognoscere non gravabitur.

APPENDICES

APPENDIX A.

DE LATINIS JESUITARUM REGNANTE LUDOVICO XIV ORATIONIBUS.

Multæ ex Vavassoris, Cossarti, Juvencii, orationibus latinis sine ulla molestia leguntur.

Quæ ad rempublicam pertinent non semper in tritis regum laudibus versantur. Juvencius potissimum, quum de Ludovici XIV expeditionibus disserit, accurate ea persequitur quæ vel hostium, vel nostratium, vel etiam Gallorum regis animos movere queant. Exempli gratia, Sequanis fidem facere instituit nunquam ipsos fuisse liberiores quam ex quo in ditionem Ludovici venerint (1); vel Flandris persuadet Flandriam, nisi tota gallica sit, felicem esse non posse (2). Perverse quidem libertatem definit, quam in hoc consistere putat ut plebes sit dives, viri primarii vero « *ad quos pertinere libertas præcipue debet* » industriam suam in magnis muneribus exerceant; sed ad pertentandos Belgarum ac Sequanorum animos opinor opportuna sane hæc argumenta fuisse : tenuis civitatis incolis nec securitatem nec opes competere; Sequanos, quorum regio multum ab Hispania distet, ab Hispanis protegi parum commode posse, nec apud

(1) *Oratio secunda.*
(2) *Oratio tertia.*

eos facilem aditum habere ad honores, ad munia, ad beneficia ecclesiastica, ad regis gratiam, *qui solent esse libertatis fructus longe suavissimi*; Gallorum principes comes, Hispanorum principes superbos esse; tum Flandriæ maritimam mercaturam bello tolli; ceterum Belgas emptoribus Gallis melius quam Hispanis qui laborent paupertate, usuros fore. Decima vero, undecima et tertia decima ejusdem oratio satis significant circiter annum 1690 Gallos fortunæ suæ minus confidisse, et ut pax tandem firma sanciretur optavisse.

Inter omnes Juvencii orationes, quæ Lutetiæ panegyricus inscribitur (1), est argutissima. Juvencius, qui Lutetiæ natus erat, solerter, non Parisinorum modo bona laudat, sed indolem exprimit : vidit enim hanc esse Parisinorum consuetudinem ut libentius extra domum effundantur quam intus se contineant; unde simul templa, viæ, ambulacra pro se quæque totam civitatem continere videantur. Hominis quoque vere Parisini est ob impeditas urbis vias primoribus labris queri, intimo corde gloriari, silentes atque expeditos aliarum urbium vicos contemnentem; quare Juvencius his verbis triumphat : « Quis in amplissimis vicis, in Ponte Novo evolvere se rhedis ac turba potest? » Consentient omnes cum eo quibuscumque contigit Lutetiæ non ἐπιδημεῖν modo sed ἐνδημεῖν, quum eleganter disputat maximam esse Parisiis facultatem vitæ, ut cuique commodum est, agendæ; consentient qui medii ævi historiam exploravere, quum asserit olim Parisinos habitu corporis, veste, victu atque oratione ingenuam probitatem præ se tulisse. Præterea, inter alia quæ de mercatura prudenter observavit, laudat Lutetiæ incolas quod aliarum urbium artes exquisitiore sæpe artificio, minore sumptu, majore copia exerceant.

Multas quoque orationes ad litteras pertinentes Jesuitæ su-

(1) *Oratio octava.*

pra nominati habuerunt : inter quas vide Vavassoris orationem de iis qui famam doctrinæ sibi injuria paravere (1), in qua mulieres insectatur quæ sacros oratores patrocinio foveant ; et orationem de discipulis qui a magistris immunitatem græcarum poeticarumque exercitationum impetrent (2). Vide quoque Juvencium de eruditorum inter se disputationibus (3).

Supervacaneum est monere eos oratores *de vitanda curiositate* (4), de fugienda ac contemnenda *novitate* disserere (5) et regem hortari ut pergat Calvinistas ad fidem catholicam minitando et pollicendo reducere, nedum illis permittat furendi libertatem (6). Vellem saltem Sancti Bartholomæi noctem haud laudavissent (7).

APPENDIX B.

EPISTOLA RAPINI AD COLBERTUM.

Jeudy matin.

On ne peut pas, monsieur, vous estre plus obligé que je vous suis d'avoir donné audience à la personne pour qui je vous l'avais desmendée, qui se loue merveilleusement de vous. Je vous en fais mes remerciments.

J'apprend que M. Perrault a mérité vos bonnes grâces, et qu'il est de vos domestiques. Il m'est allié assés proche pour

(1) Vavassoris *oratio octava.*

(2) *Quarta* ejusdem oratio.

(3) Juvencii *oratio duodecima.*

(4) Vavassoris *oratio nona.*

(5) Cossarti orationes, VI non. oct. 1650, III kal. mai. 1651 habitæ; Juvencii oratio octava.

(6) Juvencii orationes, III kal. oct. 1680, III. Id. dec. 1686 habitæ.

(7) « Hinc res novas cum Calvini grege molitus (Ramus), et in magna illa perduellium internecione Lutetiæ peracta, inter hostes patriæ obtruncatus est. » Cossarti oratio VI non. oct. 1650 habita.

que je ressente l'honneur que vous luy faites. Il est cousin germain du nepveu de ma mère, de qui je vous ay parlé pour les regrats.

Vous avés eu la bonté de me promettre de faire donner l'ordre à M. Cramoisy pour l'impression de mon ouvrage. Vous voulés bien que je vous dise que le prince de Conty m'a fait faire reproche de ce que l'impression n'est pas commencée. J'ay été obligé de luy envoyer mon manuscript à son retour parce qu'il a bonté pour moy et comme ce sera apparemment l'unique affaire que j'auray jamais à solliciter auprès de vous pour moy, souffrés la liberté que je prend de vous en faire souvenir. J'attend que vous parliés, ou fassiés donner l'ordre ainsy que vous m'avés ordonné d'attendre. Vous ne vous repentirés pas de m'avoir fait cette grâce.

M. Blondel, de qui je vous parlé dimanche, a fait un ouvrage d'architecture pour M. Rossignol à Juvisy qui est en son espèce le plus bel ouvrage de l'Europe. Outre qu'il est très habille de cela, il a esté employé par M. Desnoyers en la marine, aux fortifications et aux négotiations, et tout ce grand mérite est réduit à une chaire de mathématique. Il y a peu de gens plus sage, plus fidelle et plus modeste que luy, et il est fait comme vous aymés les gens, capable de tout et qui parle peu. Il doit vous porter quelque chose dont je vous parlé. Je voudrais que vous connussiés son talant qui est grand.

Je suis avec respect à vous en N.-S.,

Rapin,

de la Compagnie de Jésus (1).

(1) *Bibl. nat. Arm. de Baluze*, 209, p. 309. — Epistolam illam humanissime mihi indicavit dom. Tamizey de Larroque.

APPENDIX C.

EPISTOLA NICOLII DE HORTIS RAPINIANIS.

Jugement du sieur Wendrock.

« Depuis que j'ai reçu votre lettre, j'ai presque toujours été en des voyages assez longs, où il était difficile de songer à la poésie du P. Rapin. Je ne me trouve que depuis peu de jours en un lieu de consistance et avec quelque loisir, et je le prends non tant en faveur de ce bon Père que pour satisfaire à ce que je dois à votre civilité.

En vérité, Monsieur, c'est une chose bien pitoyable qu'on soit obligé de prouver que des chrétiens et des prêtres ne doivent pas feindre d'être païens, invoquer les divinités païennes et exhorter les autres à leur sacrifier, et que ces sortes de fables et de fictions blessent la religion et le bon sens; et il est bien étrange qu'on prétende mettre à couvert ces profanations sous l'autorité de Sannazar, de Sadolet et de Fracastor. J'aimerais autant dire qu'on est à couvert en faisant des vers d'amour sous l'autorité de Desportes, de Boisrobert et de Ménage, et qu'on ne saurait craindre d'être blâmé en marchant sur les pas de ces illustres abbés. Les vices ne manqueront jamais de justification, s'il suffit d'en produire des exemples. Mais il faut recourir à la loi de Dieu qui est toute pure et qui, défendant les déguisements d'habits, défend à plus forte raison les déguisements de religion, et au bon sens qui sera toujours choqué par les contorsions que ces fictions donnent nécessairement à notre imagination. J'ai bien de la peine à m'accoutumer à voir un jésuite et un prêtre faire des vers sur de si petits sujets, et paraître bassement amoureux d'une louange toute séculière et toute profane. Cet emploi me semble si disproportionné à une per-

sonne de sa profession, que je suis toujours incommodé de cette pensée en lisant ces vers. Mais qu'il me force à oublier qu'il est chrétien et que je le prenne tout d'un coup pour un prêtre de Flore, des Faunes et des Satyres, il faut qu'il m'excuse pour ce point. C'est une trop grande violence. Mon imagination n'est pas assez pliable pour cela : malgré tous les exemples du P. Rapin, elle en demeure choquée, et cette pièce me paraît si horrible qu'elle m'ôte tout le plaisir de la poésie. Je ne laisse pas néanmoins de reconnaître qu'elle a quelque chose d'agréable en quelques endroits; mais, soit par mauvaise humeur ou par ignorance, j'y trouve aussi beaucoup de défauts, et je ne sais guère d'autre moyen pour rendre ces vers fort estimables, que d'abolir entièrement les *Géorgiques* de Virgile et des bibliothèques et de la mémoire des hommes; car, tant qu'elles subsisteront, on verra dans celles du P. Rapin une imitation si crue, si servile et si inégale, qu'il est difficile qu'on en soit entièrement satisfait. Si Virgile avait fait huit livres de Géorgiques, sans doute qu'il ne se serait pas pillé lui-même d'une manière si reconnaissable. Il n'est permis de voler en poésie que comme à Lacédémone, c'est-à-dire en secret et pourvu qu'on ne le sache pas. Mais si l'on est découvert à tout moment et si l'on sait d'où est pris chaque demi-vers, chaque expression, il n'est pas possible, ce me semble, qu'on évite le dégoût, principalement si l'on voit que l'enchâssement de ces pierres précieuses n'est pas si riche et qu'en un mot ce que le P. Rapin ajoute à Virgile le défigure beaucoup.

Voilà, Monsieur, tout ce que je vous puis dire sur ce sujet; mais pour entreprendre des notes particulières sur cet ouvrage j'ai trop de raisons pour m'en dispenser, et vous êtes trop raisonnable pour m'y vouloir obliger. Je ne souhaite en aucune sorte d'être connu du P. Rapin et encore moins d'être commis avec lui. Je n'ai nulle vocation pour travailler à le corriger. Je n'ai point les poètes assez présents pour faire des remarques considérables et, enfin, j'ai un entier éloigne-

ment de ce travail. Nous avons d'autres choses à faire dans ce monde que de nous occuper à ces bagatelles, et si le P. Rapin est assez simple pour s'y amuser, il ne faut pas que nous soyons assez simples pour nous y amuser après lui. Il faut laisser aux savants du monde ces disputes de littérature et de politesse, et nous occuper, si nous pouvons, à des choses plus sérieuses et plus utiles, sinon pour les autres, au moins pour nous. C'est, Monsieur, ce que je souhaite pour moi, et je ne puis m'empêcher aussi de le souhaiter pour tous ceux que j'honore comme vous, étant très sincèrement, etc.

Bruxelles, ce

Illam epistolam e perscriptura in codice manuscripto ad annum 1660 *pertinenti asservata mea gratia descripsit dom. A. Gazier.*

APPENDIX D.

EPISTOLA CAPELLANI AD RAPINUM.

Au Révérend Père Rapin de la Compagnie de Jésus,

Mon Révérend Père, vous pardonnerés, s'il vous plaist, à plus d'une affaire pressée qui m'a occupé depuis six jours, si j'ay tardé tout ce temps à me donner l'honneur de vous respondre sur les questions de vostre billet. Il ne m'a point paru par mes lectures des sçavans italiens que j'ay assés feuilletés qu'Aristote, pour le regard de la *Poétique*, fust connu par les poétes fameux de là les Monts avant le siècle précédant de 1500 encore que la langue grecque y fust déjà en vogue par le refuge que trouvèrent les habiles Grecs qui eschappèrent en 1460 de la prise de Constantinople. Le premier poète italien qui fit voir que l'*Art poétique* ne luy estoit pas nouveau fut Gio. Giorg. Trissino dans son poème

de l'*Italia liberata da' Gothi* sous les pontificats de Leon X et de Clement VII, imité en grande partie de l'Iliade d'Homère, mais qui ne fut heureusement suyvi que par le Tasse fils, quoyqu'un Oliviero l'eust tenté dans son *Alemanna*, tant les esprits estoient prévenus de la poésie romanesque de Pulci, du Boiardo et de l'Arioste. Cependant les habiles s'appliquèrent à commenter le petit ouvrage de la *Poétique* d'Aristote. Le premier, Petrus Victorius, et ensuitte le Magnis, le Robortellus et mieux qu'eux tous en italien le Castelvetro et le Picolomini, les uns et les autres l'ayant traduite, les premiers en latin et les autres en leur langue. Au commencement de 1600, Paolo Beni la traduisit encore en latin avec d'amples commentaires. Assés louablement Majoragius et Riccobonus l'avaient traduite avant luy sans commentaire. C'est, mon Révérend Père, ce que je pense vous pouvoir dire pour le commencement de cet Art en Italie.

Pour le Pétrarque, encore qu'il ait fait, il y a plus de 300 ans, un poème épique latin qu'il appelle *Africa*, il l'a fait néantmoins sans en avoir jamais connu les règles, et beaucoup moins le Dante, il y a près de 400 ans, dans son poème si estimé à Florence bizarrement intitulé *Comédie*. L'Arioste qui a publié son *Orlando* en 1530, encore qu'il fust très habile et très bon poète latin, ayant commencé un poème selon les règles qu'il connaissait, l'abandonna pour le roman afin de seconder le goust du siècle et des princes qu'il servoit et y réussit admirablement, ayant pour l'invention beaucoup plus de génie que le Tasse, quoyque, depuis la *Hierusalem* de celuy-cy, personne n'ayt suyvi l'Arioste et qu'il se soit composé une grande multitude de poèmes héroïques sur les principes establis dans la *Poétique* d'Aristote. Le Dante n'a pas seulement le soupçon du poème épique qui consiste tout dans l'action. Son ouvrage est un voyage en songe plein de satyre et de matière morale et chrestienne avec beaucoup de doctrine et de beaux vers.

Quant au Marin, il estoit fort ignorant et n'avoit que l'ima-

gination belle pour le détail des pensées et l'expression pure, nombreuse et claire, pour le lyrique principalement. Il ne pensa à l'Art qu'après avoir achevé sen grand poème de l'*Adone*, ce qui le désesperait quand il fut obligé de le publier et qui le fit me conjurer de le secourir, ce que je fis à sa consolation par la préface que vous avés veue. Il me semble, mon Révérend Père, avoir respondu, sinon satisfait, à toutes vos questions. Recevés mes responses bénignement et avec la mesme liberté que je les ay faites, sans vous obliger à les approuver.

Je suis, mon Révérend Père, vostre, etc.

De Paris ce 20 mars 1673.

Hanc quoque epistolam eruditissimus vir Tamizey a Larroque (ex Bibl. nat. F. F. N. A. 1889, *f°* 373 *depromptam) suppeditavit. Cf. Commentarium Rapini de Poesi* (11[e] *réfl. sur la poésie en général*).

APPENDIX E.

DE LIBRO VAVASSORIS QUI INSCRIBITUR *De ludicra dictione.*

Aptissimis verbis Vavassoris librum *De Ludicra dictione* dom. Jacquinet laudavit : « ...Un très estimable livre, savant, judicieux, bien fait, rempli de fins jugements et de vues instructives, et digne de vivre s'il n'eût été écrit en latin » (*Des Prédicateurs avant Bossuet*, p. 300).

Hoc confirmare Vavassor instituit ludicram dictionem (*le burlesque*) neque exemplis antiquorum scriptorum, neque antiquorum rhetorum præceptis, nec naturæ ratione permitti. Exstiterunt profecto apud veteres qui vel formis hominum ridicule effingendis vel corrumpendæ per jocum loquendi consuetudini intenderint; sed istud genus vel facetissimos auctores fastidiisse Vavassor probat. Opportune igitur in eos invehi-

tur qui ea potissimum ætate quæ doctrinas, salubritatem in dictione, diligentiam in arte metrica magis in dies adamaret, libidini scurrilitatis intempeste indulgerent (*Præfatio*); quorum hebetia ingenia miseratur, nam « *quemadmodum singulares et eximiæ inusitatæque formæ, si aspiciantur subito, etiam ab infensissimis hostibus nonnunquam impetrare pacem solent, ferrumque de manibus extorquere : ita pulcherrima species et forma divinæ poeseos, si nota fuisset violatoribus suis, ut tantam ab se injuriam abstinerent, sine dubio exorasset* (*Opera Vavassoris*, *pag.* 34, *columna prior*). Quod vero Ovidius dixerat se *populi* gratia scribere, Vavassor affirmat eum longe aliud respexisse quam *id quod nunc a nostris intelligatur duntaxat*, *rude et ignarum litterarum vulgus*, *infimamque fæcem civitatis*... « *Hic Lutetiæ, in pontibus et triviis, absurdæ cantiones etiam cantitantur absurdius; ubi neque spectat nec spectatur vir quisquam honestus nisi forte derisui se et spectaculo ipse esse velit* (pag. 35, columna prior). » « *Quomodo tandem plebeium et trivialem et fæculentum sermonem impune tractabunt neque allinent sordes ullas sibi, nec colorabuntur tam tetra fuligine?* (page 80, prior col.) »

Subtiliter atque acute disputat : monet enim Athenienses utpote qui nasutissimi essent, eos fuisse qui scurrarum ridicularia alacerrime excepissent, nisi infimum istud dicacitatis genus contempsissent (pag. 2); iisdem salibus inficetis abstinuisse Socratem, etsi, philosophiam per vias ac compita educens, utique ludificando sophistas refelleret. Si quis vero objiciat asperitatem victus vel unum eumdemque semper oris habitum in Socrate a jocis alienum fuisse, habet Vavassor unde objecta diluat. Item si quia nulla scripta Socrates memoriæ tradiderit negaveris constitui posse utrum ludicram dictionem adhibuerit, necne, Vavassor Aristophanem appellat, qui istas sordes illi non imputaverit. Quam vero sagax et copiosus in disputando, tam adstrictus pressusque in probationibus colligendis videtur (V. finem capituli tertii, in quo sic concludit : sive communes Platoni Xenophontique

virtutes; seu proprias cujusque, sive mendas, seu lepores intuearis, utrumque Gelasimis, ut vocat, recentioribus plane absimilem fuisse. P. 13, in principio prioris columnæ).

Oratio ejus incorrupta et urbanis salibus referta est (V. facetam Polyphemeæ deformitatis descriptionem, pag. 22, prior columm. vel locum quo negat in urbanitatis Ciceronianæ æstimatione illos audiri debere quos Tullius sit ludificatus, pag. 62, posterior col.).

Præterea tantum abest ut ceterarum gentium ingenia ad nostrorum ingeniorum normam exigat, ut suam indolem vel in jocando vel in amando quemque populum sequi patiatur; in liberis enim civitatibus majorem fuisse illudendi veniam : « *Qua libertate*, inquit, *nos in regno nati, qui ab unius nutu pendemus, non modo nihil utimur, sed ne sentire quidem qualis ea et quanta sit satis possumus* (pag. 62, prior col.); » et quod ad amorem attinet : « *Risi certe quum legi, qui erudito hoc sæculo scripsisset, Lucianum artem ignorasse amandi*, etc. »

Docuimus Rapinum multa observavisse quæ postea Fenelo et ipse animadverterit : hoc Vavassori cum Fenelone convenit quod et antiquorum leporibus perfruuntur, et in disserendo casti sed minime pudibundi sunt : Nam Vavassor fatetur Lucianum aliquando minus protervum videri quam sumpta argumenta ferrent (pag. 26, posterior col.), et quamvis commentitiarum fabularum quas *romans* nuncupamus, volumina in Sequanam dejicienda merito censeat si futurum sit ut iis perlegendis *aut ulla pars officii claudicet, aut sensus virtutis vel minimum exstinguatur, aut doleat unguis aut pilus boni viri pereat* (pag. 29, posterior col.), ait illud genus litterarum ad aliquam partem humanitatis pertinere, civilemque congressum et consuetudinem vitæ politioris inde informari (Ibid.).

Et quidem enumerandis Vavassoris virtutibus, laudem ingeniosi viri non assequimur, quæ major videretur, si quantam eruditionis copiam, quot disputationes minime vulgares

percensitæ a nobis dicendi venustates illustrent disserere cœpissemus.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Paris., in Sorbona, a. d. IV kal. mai. an. MDCCCLXXXI, Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus,

H. WALLON.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX RERUM

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.